

De vasis
irae et
misericordiae

1691





ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ

De

V A S I S
IRÆ ET MISERICORDIÆ,
NEC NON
HONORIS AC IGNOMINIÆ,

Ex

Sacris literis, & imprimis

Ex Rom. IX, 20. 21. 22. 23.

deducta,

Et ad fidei analogiam conformata, atque præsertim Cal-
vini & quorundam ejus asseclarum *δυσφημαίς καὶ βλασφημαίς* de
absoluta omnium eorum, qui damnantur,

Prædestinatione ad mortem

opposita,

*Quam, DEO PROPITIO, humani generis Condi-
tore optimo, Amatore maximo, Reparatore benignissimo,*

Doctore unico, publicæ placidæ,

συζητήσεαι

Ad d. 8. Jan. M DC XVI.

In Acroaterio Theologico instituendæ
exponit & proponit

J O H A N N E S M A J O R,
SS. Theol. D. Prof. Publ. Pastor & Superin-
tend. Jenæ,

RESPONDENTE

M. JOH. GEORGIO ZEIDLERO,
Chemnic. Facult. Philos. Adjuncto.

*In honorem DEi proximiq̄ue commodum
denuò multum correctior edita.*

JENÆ ex Ergasterio WEIDNERIANO, M DC XCI.



1943 K 12.09





I. N. D.

CAPUT I.

De Disputationis presentis Occasione
& Argumento.

§. 1.

DEnuo ex more & lege Academiae nostrae <sup>Disputatio-
nis</sup> in arenam descensuro, & quidem cum illis, qui Φι-
λαδελφίας osculum nobis offerunt, Ψευδαδελφίας
virus animo coquunt, placet sepositis aliis, quae in
disceptationem vocari poterant & forsan debe-
bant, ea tantum, quae de *Vasis irae & misericordiae, ho-
noris & ignominiae* in sacris leguntur literis, sub incudem accuratioris
considerationis revocare & συμβιβάζειν.

§. 2. Argumento huic ut paulo diligentiore impendam cu-
ram, monet *Occasio*, suadet *Utilitas*, postulat *Necessitas*.

§. 3. *Occasionem* aperiunt annales Apostolici, in quibus cum *Occasio*,
Saulus dicatur σκῆϑος ἐκλογῆς τῶν ἐκλεκτῶν, cap. IX, 15. visus mihi
fui curae operaeque facere pretium, si cum hujus, tum affinium lo-
cutionum momenta aliquantò exactius librarem, & usum illarum
Spiritui Sancto proprium & genuinum investigarem.

§. 4. Quod enim hic Scripturae Magister vasorum appellatione *Utilitas*,
utitur in Bibliis suis libentius & frequentius, eò amplior ad nos re-
dit *Utilitas*, si mentem ipsius rectè assequamur.

§. 5. Nimirum lucis aliquid non planè nullis hinc accedit, quae
in articulis fidei occurrunt de Creatione, Providentia, Prædestina-
tione, Reprobatione, Redemptione, Justificatione, Regeneratione,
Renovatione, Sanctorum inter se & cum Christo communicatione,
glorificatione, & his affinibus: hinc solatii fomes perturbatis, pati-
entiae seges afflictis, gratitudinis & humilitatis materies piis & ele-
ctis suppetit.

§. 6. *Necessitatem* versandi hujus argumenti imponit mihi eo- *Necessitas*,
rum

rum intemperies ac scribendi cacoëthes, qui in religionis nostræ sublimi illo & arduo capite de Prædestinatione, non minus à nobis, quàm à seipsis totis, quod dicitur, castris dissident, Calvinii cæterorum signa in plerisque omnibus sequentes.

§. 7. Ut enim thesin suam Φυλάτῳσι, quàm mortalium alios, eosq̄ non ita multos ad vitam, reliquos, & quidem longè plures, ad mortem ex mero & absoluto beneplacito DEI prædestinatos atque creatos esse, & quotidie creari contendunt, ad phrasin hanc de GRATIÆ & IRÆ VASIS vel maxime, ne dicam unice, recurrunt, & in ea proram puppinq̄, causa sua constituunt.

§. 8. Ne igitur veritatis amantes, quovis doctrinæ vento ceu fluctibus agitati, circumferantur, & simpliciores atque ἀμαθέστεργικυβεία καὶ πανουργία τῶν ἀνθρώπων πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης circumveniantur, Eph. IV, 14. nos præmonendi animo divina adjuti ope annitemur hac vice, ut, è tenebris emergente luce ac discussâ falsitatis nebulâ, veritas effulgeat, vincat, triumphet, regnet.

Ipse tui verbi verum decus asserere Christe,
Ac sine nos laudis vasa manere tuæ.

CAPUT II.

De Questionis Armamentis & Domiciliis.

§. 1. Hostes in bello pugnant armis, nos in campo Theologico Spiritûs Sancti Oraculis.

§. 2. Illi gaudent armis pulchrè expolitis, nos Scripturæ Dictis rectè intellectis & applicatis.

§. 3. Quod illis castra, nobis articulorum fidei domicilia, & à Prophetis Apostolisq̄e fixa tentoria.

§. 4. Decumanam quasi portam nobis in hoc argumento præbet locus Apostoli Rom. IX, 20, 21. 22. 23. qui sic habet

In fonte Græco:

20. Μενέγγε, ὦ ἀνθρώπε, σὺ τίς εἶ, ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι: Τί με ἐποίησας ἔτως;

21. Ἡ

21. Ἡ εἰς ἔχει Ἰξυσίαν ὁ κεραμὸς τῷ πηλῷ,
ἐν τῷ αὐτῷ φεράματι ποιῆσαι ὁ μὲν εἰς τιμὴν
σκύβου, ὁ δὲ εἰς ἀτιμίαν;

22. Ἐὶ δὲ θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν,
καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατόν αὐτῷ, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ
μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρητισμένα εἰς ἀ-
πόλειαν.

21. Καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλεῖστον τῆς δόξης αὐ-
τῷ ἐπὶ σκεύη ἐλέως, ἀπερητοσίμασεν εἰς δόξαν.

Versio Latina:

20. Atqui, ô homo, tu quis es, qui ex adverso re-
spondes DEo? num dicet figmentum ei, qui finxit: Cur
me finxisti ad hunc modum?

21. An non habet potestatem figulus luti, ut ex ea-
dem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud
verò in ignominiam?

22. Quod si DEus volens ostendere iram, & notam
facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate vasa
iræ, apparatus in interitum.

23. Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga va-
sa misericordiæ, quæ præparaverat in gloriam.

Germanica Lutheri:

20. Ja / lieber Mensch/ wer bist du denn / daß du mit
Gott rechten wilt? Spricht auch ein Werck zu seinem Mei-
ster: warumb machest du mich also?

21. Hat nicht ein Töpffer Macht aus einem Klumpen zu
machen ein Faß zu Ehren/und das ander zu Unehren?

22. Derhalben da Gott wolt Zorn erzeigen/ und kund
thun

thun seine Macht/ hat Er mit grosser Gedult getragen die Gefässe des Zorns/ die da zugerichtet sind zur Verdammniß.

23. Auf daß Er kund thäte den Reichthumb seiner Herrlichkeit an den Gefäßen der Barmherzigkeit/ die Er bereitet hat zur Herrlichkeit.

§. 5.

Ἐλλειψίς
supplenda,

AD sensum & scopum Apostoli eò citius & expeditius attingendū, non videtur præter rem esse, ut, quæ in *vers.* 22. sese prodit, Ἐλλειψίς suppleatur.

§. 6. Paulus enim pro suo, quo hoc argumentum contra obmurmurantes urfit, eosque pressit spiritu fervidiori, orationem reliquit imperfectam & hiantem.

§. 7. OECUMENIUS revocat huc id, quod suprâ *vers.* 20. præmissum: Tu quis es, qui responsas ex adverso DEO, inquiens: εἰ ταῦτα ὁ Θεὸς ποιεῖ, σὺ τίς εἶ, ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ ἐνδείξασθαι τὴν ὀργήν!

§. 8. AUGUSTINUS quoque iisdem planè verbis defectum sermonis sarcendum putat, *Lib.* II. *ad Simplicianum quest.* II. *Recurrente*, inquit, *sententia ad priora verba*, sensus erit: si volens DEUS ostendere iram, attulit vasa iræ, tu quis es, qui respondeas DEO.

§. 9. ALII figuram orationis dicunt esse Ἐλλειπτικήν κατὰ Ἀποσιώπησιν, ut tale fiat: εἰ δὲν δὲ ἄτοπον, aut: εἰ δὲν δ' οἶον μέμφεσθαι, εἰ γέλων ὁ Θεὸς: non autem est absurdum dictu aut reprehendendum, si DEUS, &c. ALII particulam εἰ δὲ perinde accipiunt, ac si dictum: quid autem si?

§. 10. Et in seq. versu Ἐλλειψίαν ita resarciunt: καὶ τὸ εἰ δὲν δὲ ἐποίησεν, ἵνα γνωρίσῃ, id est, nimirum fecit, ut declararet, &c. alicubi tamen τὸ καὶ non scribitur: Camerarius in *Notatione figurarum in Scriptis Apostolicis*.

§. 11. Quemadmodum autem Spiritus S. sibi in omnibus libris à se profectis, quos Canonicos appellare solemus, σύμφωνος est, καὶ σύμφητος, nec non interpretes suimet ipsius certissimus & ἀυτοπίστατος: Sic etiam Paulus in suis, quæ allegavimus, verbis undiquaque Prophetis est ἐυσυναρματός, secundum illud, quod de se ipse protestatur, *Act.* XXVI, 22. Nihil loquor extra id, quod locuti sunt Prophetae.

§. 12. Uno

§. 12. Uno eodemque Spiritu afflati olim severunt Prophe-
tæ, messuerunt Apostoli, Joh. IV, 37. 38.

§. 13. Sic enim ESAIAS cap. XLV, 9. *Va contententi cum Plas-
matore suo, testæ cum testis terra, (mit den Töpffern des Thons/ ut ver-
tit Lutherus noster,) nunquid dicit lutum fictori suo, quid facis? & operi
tuo non manus?*

§. 14. Quæ verba sunt *Ἰπτιμυτινὰ*, ac opposita vel Astyagi,
qui Cyro necem machinando ipsi DEO obluetabatur, ut exponit Ly-
ra: vel Judæis, qui perquam iniquè ferebant, & tantùm non injustæ
severitatis DEum anquirebant, quòd tamdiu Babyloniorum gentis
impia & idololatricæ tyrannidi subjecti libidiniq̄e expositi essent,
ut placet nonnullis interpretibus: vel Regi Balthasari & ejusdem
subditis, qui animis elati & efferati DEum & cœlum ipsum impe-
tebant.

§. 15. Quem gentis hujus fastum alio non multum absimili
argumento retuderat Vates suprâ cap. X, 15. *Nunquid gloriabitur securis
adversus incidentem cum ea? nunquid se magnificabit serra contra elevan-
tem eam?*

§. 16. Sic & JEREMIAS cap. XVIII, 6. *Nunquid sicut figulus
iste non potero facere vobis domus Israël, ait Jehova? Ecce sicut est lutum in
manu figuli: sic estis in manu mea, ô domus Israël.*

§. 17. Hic non describitur formationis nostræ initium, sed sua DEO
petestas in frangendis & conterendis vasis, quæ jam formata politaq̄ sunt,
asseritur, ut ait Calvinus de aeterna Prædestinat. fol. 832.

§. 18. Quin & aliis in locis similitudo figuli continetur, ut
Esa. XXIX, 6. *Subversio vestra (cogitationes vestræ perversæ, qui-
bus speratis, vos posse me aliquid celare,) verè sicut lutum figuli reputa-
bitur: num dicet opus de factore suo, non fecit me? & figmentum dicit de fi-
ctore suo, non intelligit?*

§. 19. Esa. LXIV, 8. iterum: *Nunc igitur Jehova Pater noster es,
nos lutum, & tu victor noster, opusq̄ manûs tuæ omnes nos.*

§. 20. Quo in loco non de communi hominûm natura, sed de
regeneratione agere Esaiam, annotat Calvinus.

§. 21. Transtulit flosculum hunc Propheticum in hortum su-
um Syracides cap. XXXIII, 13. & 14. *Ut lutum figuli in manu ejus
πᾶσι: αἰ ὁδοὶ αὐτῶ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτῶ: sic homo in manu illius,
qui fecit ipsum, redditurus ipsis secundùm judicium suum.*

§. 22. Sa-

§. 22. Sapient. XV, 7. & 8. fit quoque figuli mentio, ex luto formantis vasa, cum ad usus & ministeria humana constituta, tum imagines ad cultum impium & nefandum profinitas.

§. 23. Comparantur vasi, quod fractum & dissipatum, ideoque nullius pretii, Zedechias, Jerem. XIX, 11. Tribus Israeliticæ, in captivitatem redigendæ, Amos. VIII, 8. David, Psal. XXXI, 13. quod frangendum & dissipandum: Gentes χειρομαχῶσαι, Psal. II, 9. Apoc. II, 27.

§. 24. Facit huc insignis locus Apostoli 2. Tim. II, 20. 21. *In domo magna non sunt vasa aurea tantum, aut argentea, sed etiam lignea ac testacea: & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus. Si quis igitur sese ab his expurgarit, erit vas ad decus sanctificatum, & accommodum usibus Domini, & ad omne opus bonum comparatum.*

§. 25. Accedunt his & quasi applaudunt loca nonnulla alia, in quibus DEUS fictori, homines plasmati assimilantur. Esa. XVII, 7. XIX, 25. XXII, 11. XXXVII, 26. XLIII, 15. Ephes. II, 10. 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15.

§. 26. Hæc testimonia ideò sub unius capitis signum revocare volui, ut in conflictu cum adversariis, sicubi opus, ad ea ceu ad invictum triariorum robur nos recipere, eorumque virtute victoriâ potiri queamus.

CAPUT III.

De Similitudinis ventilanda nonnullis

Symbolis & Monitis.

§. 1. Ἡ γνώσις τῶ ὁμοίῳ τῶ ὁμοίῳ, dicebat olim Empedocles, *similia mutua inserviunt cognitioni.*

§. 2. Interim simile non est idem, nec quadrat per omnia, sed tantum in quibusdam: τοιαῦτα non sunt ταῦτα.

§. 3. Legamus igitur & hic ὡφθολῆς tractandæ vestigia.

§. 4. *VASIS* appellatio in sacris latissime patet; pro quolibet utensili instrumento, supellectile, ferramentò, sarcinâ, & ornamento usurpata, cujus usus vel in re familiari, vel in vestiaria, vel in bello, vel in templo, vel in peregrinatione, vel in Musica, Gen. XXXI, 37. XLV, 18. Judic. XVIII, 16. 1. Sam. X, 22. Jer. XLVI, 9. Matth. XII, 29. Marc. XV, 16. Ezech. XVI, 17. & 39. XXIII, 26.

§. 5. Ac

VASIS
significata,

§. 5. Ac vas quodcunque respectum habet ad *causam principem*, quæ illo, ceu *organo*, utitur tum ad usum, cui destinatum est & inservit: interdum etiam pro *subjecto* seu *receptaculo* sumitur. Unde & pro *corpore humano*, quod animæ quasi organum, & pro *membris*, quæ locorum situ non minus atque finibus sunt discreta, 1. Cor. XII, 18. positum legitur 1. Sam. XXI, 5. 1. Thess. IV, 4. Quin & totus homo (sive mas sit, sive fœmina, nihil interest,) *ὁργανικὸς* aut *δενδρικὸς* consideratus, vas dicitur 2. Tim. II, 20. 21. 1. Petr. III, 7. Esa. XIII, 5. Rom. IX, 22. & 23. 2. Cor. IV, 7.

§. 6. Ad hominem igitur translata similitudo de multis utiliter commonet. 1. *Lutum ex terra*: ex eadem & homo, Gen. III, 19. XII, 27. 2. *Lutum res vilis & contempta*: homine nihil fragilius, nihil inanius, DEO si comparetur, ex se si ponderetur, Esa. XL, 17. Job. X, 9. XXXIII, 6. Sirac. X, 9. 10. 11. Psal. IIX, 5. CIII, 14. CXLIV, 4. 3. *Ex luto olla, urceoli, amphoræ, & alia si formantur*, non nisi artificis & opificis manu arbitricæ formantur, Sirac. XXXIIX, 32. 33. 34. nec homo ullus à seipso, sed à DEO, tum ratione *κτιστικῶς*, tum *ἀνακτιστικῶς*, Psal. CXXXIX, 15. Job. X, 8. XXXIV, 19. Psal. C, 3. Ephes. II, 10. vide supra *Cap. II. §. 26.* 4. *Vasa*, præsertim aurea, argentea, quin & lignea, non uno perficiuntur momento, sed artificibus nonnihil temporis concedendum in iis efformandis & ornandis: sic & ad hominis sive formationem, sive reformationem, sive informationem & expolitionem mora requiritur temporis, cura operantis, gratia benedictis, Eccles. III, 1. 1. Cor. III, 7. 5. *Vasa* parantur & adhibentur usibus hominum, sive honestioribus & nobilioribus, sive inverecondioribus & ignobilioribus: Homines primi ad imaginem DEi creabantur, Gen. I, 27. ut Conditori suo servirent in justitia & sanctitate veritatis, quamdiu in terris degerent, Ephes. IV, 24. Luc. I, 75. ac tandem in cœlestibus beatâ immortalitate fruerentur, Sap. II, 23. Quem finem licet beneficio creationis per & propter peccatum, quod subintravit, homo lapsus consequi nequeat; tamen aliâ ipsi viâ subventum est divinitus, quâ ad eundem pervenire possit. Finis enim, quem sibi propositum habuit in redemptione, salutis nostræ vindex, correspondet & succenturiatur alteri illi, qui fuit creationis, protoplastis astu Diaboli interversus. Agnoscit hoc & probat UR-
SINUS in *Esaia cap. XVII. fol. 114.* Homines suis peccatis perditam amiserunt illius primæ creationis beneficia, ideoq; si debent assequi finem illum & felicitatem,

Similitudinis
membra:

1.

2.

3.

4.

5.

B

tatem,

- tatem, ad quam sunt conditi, necesse est, eos de novo creari, hoc est, reparari & renovari. 6. Vasa nonnulla, uti sunt vitrea, aurea, argentea, excoquantur & probantur igne: homines cruce, Ps. LXVI, 10. Sirac. II, 4. 5. XXVII, 6. Proy. XXVII, 21. 7. Vasa humorum quantumvis capacia, tamen nisi impleantur, manent vacua: sic homo nisi à DEO cum naturæ, tum gratiæ donis & bonis locupletetur, inanis hiat & perit, 1. Chron. XXX, 14. Joh. I, 16. III, 27. Jacob. I, 17. 8. Vasa præstant vasis pro materiæ & artificii varietate: homo homini pro donorum & officiorum diversitate, 1. Cor. XII, 28. 9. Vasorum aliqua, præsertim ex ligno & argilla facta, facile saporem, situm & foetorem combibunt, nisi sedulo purgentur, secundum illud:

*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.*

Et alterum:

Sincerum nisi vas quodcumque infundis acescit.

- Sic optima sæpè ingenia consuetudine corrumpuntur pravâ, 1. Cor. XV, 33. Sap. IV, 3. nisi doctrinâ corrigantur, disciplinâ mudentur, Joh. XV, 3. Proy. XXII, 15. 10. Vasa seu manubria, hostibus olim erepta, vel aqua vel igne lustrari oportebat, antequam usibus applicarentur sacris aut œconomicis, Num. XXXI, 23. & seqq. sic qui regnum DEI intrare & Domino suo usui esse debet in domo sua, eum oportet ex aqua & Spiritu renasci, verbo sanctificari, Joh. III, 5. 1. Cor. VI, 11, 2. Tim. II, 22. 11. Vitium, si quod materiæ inest, à causa ortum *φθαρτικῆν*, uti ab opifice non est, ita nec ab eodem semper tollitur, sed sæpius in id transit, quod ex materia illa producitur: hominis labes & lues non est à creatore, sed à natura generatrice, quæ corrupta, Psalm. LI, 7. Gen. VIII, 21. Si lignum carie infestatum fuerit, ædificium, ex illo quod fit, optimum esse nequit.

§. 7. Hæc præcipua sunt *συνπλοῖε* membra, quæ ut sacris consonant literis: sic ad Spiritûs Sancti mentem & scopum dexterius percipiendum, aliquâ sui parte conducere possunt.

CAPUT IV.

*De Similitudinis tractandæ intellectu & usu
apud adversarios.*

§. 1. De hisce igitur, quæ jam prælibata sunt, nobiscum non facile digladiantur illi, quos à Calvino, quem in plerisque dogmatibus

tibus magistrum venerantur & sequuntur, Calvinianos indigitamus, sed potius longè sublimius aliquid & abstrusius in hac similitudine venantur, prædestinationis scilicet non minùs quàm reprobationis absolutæ liberum & immutabile DEi omnipotentis decretum inde elicientes & exsculptentes.

§. 2. Sic enim ZWINGLIUS de providentia DEi pag. 366. (ex cujus uberibus reliqui lac fluxerunt omne:) Idem factum, quod DEo auctore & impulsore sit, illi honorificum est, at homini crimen ac nefas. Jure igitur plectuntur fontes, sive hic à judice, sive istic à Rege regum & Domino dominantium. In legem enim peccarunt non quasi auctores, sed quasi instrumenta, quibus DEus liberius pro sua voluntate uti potest, quàm paterfamilias aquam aut bibere, aut humi effundere.

§. 3. Sic CALVINUS Lib. III. Institut. Distinct. XXI. Sect. V. Prædestinationem vocamus æternum DEi decretum, quò apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus. Item Distinct. XXIII. Sect. I. IV. VI. VII. & VIII. ubi inquit: Cadit igitur homo, DEi providentiâ sic ordinante: de æterna prædestinatione contra Pighium fol. 811.

§. 4. Sic BEZA super locum controversum: Dico, Paulum elegantissimâ istâ similitudine adhibitâ, ad ipsius Adami creationem alludere & ad æternam DEi propositum usque conscendere: qui, antequam humanum genus conderet, jam tum & in quibusdam, quos novit, per misericordiam servandis: & in quibusdam, quos novit, justo judicio perdendis, gloriam suam illustrare, pro suo jure & mera voluntate decreverit. Idem in brevi Explicatione totius Christianismi: Idem ille DEus ab æterno proposuit & decrevit in semetipso, omnia suis temporibus ad gloriam suam creare, ac nominatim quidem homines, idq; duobus modis penitus diversis: ita nempe, ut alios, quos sibi visum fuerit, pro arcana sua voluntate faciat per misericordiam gloriæ suæ participes, quos vasa honoris, electos, filios promissionis & prædestinatos ad salutem ex DEi verbo appellamus: in alteris verò, quos item placuerit in eum usum suscitare, iram ac potentiam suam ostendat, ut in ipsis quoque glorificetur, quos vasa contumeliæ & iræ, & ad omne bonum opus reprobos vocamus. Idem repetitur contra Castellionem; in Colloquio Mompelgardensi, & in Responsione, multoties.

§. 5. Sic ZANCHIUS Lib. V. cap. II. de natura DEi: DEus fecit hoc vas in contumeliam, induravit, excœcavit, & ac hunc usum immutabili suo decreto ac voluntate deputavit, nimirum ut sit receptaculum iniquitatum: ergò injustè de isto conqueritur, quòd sceleribus plenum sit, eoq; & injustè illud vas damnat, atque à suo conspectu in cloacam infernalem projicit, cum non possit aliter facere illud vas, quàm ut plenum fecibus peccatorum malè oleat propter immutabilem DEi voluntatem, qui istud vas ad hunc usum deputavit.

§. 6. Sic ARETIUS super cap. IX. ad Rom. fol 90. Ut voluntas figuli massam antecedit & vasa inde facienda: sic DEi aeterna voluntas erat, antequam massa hominis ulla extaret in natura rerum.

§. 7. Sic BUCANUS in Institut. Theolog. Loc. XXXVI. pag. 390. DEus homines à se creandos antequam eos conderet, jam tum quorsum eos conderet constituens, sic ipsius gloria inservire pro suo jure & mera voluntate decrevit, ut eorum alii essent vasa & exempla ipsius bonitatis & misericordiae; alii autem vasa & ὑποκείμενα ipsius irae, id est, justa in scelera ultionis atque potentiae.

§. 8. Sic PARÆUS de amissione gratiae & statu peccati Lib. II. cap. XII. Quod Bellarminus negat, aliquos creari ad interitum sempiternum, est contra Scripturam & Patres. Res etiam loquitur, impios omnes vadere ad interitum. Ergò aut ad interitum sunt creati, id est, ordinati ab aeterno, atque etiam procreati in tempore: aut DEus frustratur creationis sine: aut nullo sine certo, sed temerè aliquos creavit DEus.

§. 9. Sic PISCATOR in Responsione contra Tauffrerum: Finis creationis hominum, quantum ad ipsorum statum attinet, est duplex: unus gloriosus ac beatus, qui nominatur vita aeterna: alter ignominiosus & miser, qui vocatur interitus & mors aeterna. Cum priore sine convenit decretum electionis; cum posteriore decretum reprobationis: nam quos DEus decrevit eligere ad vitam aeternam, eos etiam ad eandem decrevit creare: similiterq; quos decrevit reprobare, eos etiam decrevit creare ad interitum seu mortem aeternam. Quod utrumque expressis verbis docet Apostolus Rom. IX, 21. 22. & 23. Idem posuit contra Hemmingium, Schaffmannum, & Bertium, aliquoties.

§. 10. Sic RENNECHERUS in scripto Didascalico cap. III. Utrumque ex DEi beneplacito ita dependet, ut alios pro sua severissima justitia à salute ut vasa irae repudiaverit: alios autem pro sua immensa bonitate ad vitam aeternam ut vasa misericordiae elegerit.

§. 11. Sic

§. 11. Sic WHITAKERUS in sua Cygnea concione: Hinc apparet, quod de luto & figulo Paulus introducit, non posse melius exponi, quam de massa incorrupta. Si enim corruptio massæ esset causa cur DEUS vasa ad ignominiam faceret, nullum fieret vas ad honorem.

§. 12. Sic denique GRYNÆUS in Orthod. fid. class. 1. thes. 13. Alios creat, ut sint vasa misericordiæ, & alios, ut sint vasa iræ, &c. ἐὸς, quosdam vult simpliciter salvos fieri; alios verò simpliciter non vult salvos fieri.

§. 13. Hæ sunt adversæ partis assertiones manifestæ, definitiones perspicuæ, quas qui locutionum incommodarum titulo excusat, & poëtico illo schemate palliat: Interdum bonus dormitat Homerus, uti facit D. Sibrandus in Append. ad XCIX. Errores Vorstii: ille πρὸς ἀλήθειαν ἐκ ὀρθοποδεί, Gal. II, 14.

§. 14. Ex his ἀντιμαχόντων verbis, quæ fide descripsimus illibatâ & purâ, quatuor potissimum occurrunt, quæ considerationem requirunt, refutationem postulant: Quorum primum distinctionis ergò liceat nominare OBJECTUM; Alterum SUBJECTUM, quibus similitudo sive rebus sive hominibus in ἀποδόσει conveniat & aptari debeat; Tertium CAUSAM EFFICIENTEM vasorum; Quartum FINEM horundem.

CAPUT V.

De Objecto Disputationis

Paulinæ.

§. 1. Quæstio igitur hæc prima inter nos & adversarios fer- κεινόμενον.
vet; Nunquid Paulus adductâ similitudine de figulo & vasis cum honoris, tum contumeliæ, agat de hominibus tanquam in Adamo formandis & condendis, ac nondum in rerum natura existentibus, sed tantum in mente divina per diversa prædestinationis & reprobationis decreta disparatis, inq; alterutrum finem vel vitæ vel mortis descriptis ac destinatis, & inevitabili fato statutâ temporum serie post multa secula producendis; An verò tanquam de creatis & in scena mundi versantibus? Vel: An vasorum appellatione revocemur mente ad prædestinationis aditum, & formationis nostræ principium? An potius ad diversam, in quo post creationem deprehendere licet homines, statum & conditionem?

B 3

§ 2. Di-

§. 2. Dicam, quantum possum, clariùs & succinctius: *Utrum* Apostolus, adductâ de figulo & vasis similitudine, ad predestinatos & conden- dos homines ascendat, & hoc respectu à nobis eos attendi velit; An verò in- creatis, prout credunt vel non credunt, suâ δαωγία hæreat & subsistat?

§. 3. Prius volunt & asserunt illi, quos modò allegavi; poste- rius placet veritati & nobis. Ἰδὲ ῥοδῶ, ἰδὲ πιδηνα.

§. 4. Statum quæstionis pari modo proponit BEZA de æterna DEi predestinatione contra Seb. Castellionem fol. 360. Cùm Apostolus di- fertè testatur, DEum instar figuli ex eadem massa quadam vasa honori & misericordia, & quadam contumelia & ira destinasse, quomodò dictum istud ita detorquebis, ut ad ipsum usque Adami opificium non ascendas? neque enim massa nomen humano generi condito, sed condendo convenit, nedum ut massa appellatione corruptum humanum genus intelligatur. Conden- dum autem humanum genus voco, non modò quòd DEus nondum prospiceret, & reipsa condidisset, sed etiam quòd non consideraret ut conditum, nedum ut corruptum. Nam si in Adami peccato, sive in corruptione tanquam in summo gradu omnium causarum electionis & reprobationis hæeret Apostolus, id est, si de conditis iisq; corruptis hominibus aut reipsa, aut secundum DEi præscientiam hanc similitudinem vellet intelligi, sanè dicendum non erat, DEum facere vasa ira, sed ea, quæ suapte natura præsciret fore, vel quæ jam essent ira vasa, in miserabili statu relinquere.

§. 5. Nos contrà pugnamus, Paulum nec oculos, neque mentem intendere ad predestinationem adversariorum & creationem primam; ne- que loqui de hominibus faciendis, sed factis, non de separandis, sed separa- tis, hoc est, considerare cùm Judæos tum Ethnicos citra æternitatis & seculi, quò massa humani generis in Adamo creata dicitur, rationem, in eâ parte & sorte constitutos, quam tum temporis præsens eorum status & rerum facies præ se ferebat.

§. 6. Demonstrat hoc & evincit (1) Scopis, quem Apostolus sibi habet præfixum, rectè cogniti veritas; (2) Verborum, quibus men- tem exponit suam, perspicuitas; (3) Exemplorum, quæ adducun- tur, conformitas; (4) Rationum, quæ hinc efflorescunt, firmitas; (5) Suffragiorum humanorum autoritas.

§. 7. In manifesta quippe luce positum est, Doctorem genti- Scopus Pauli um cap. IX. non facere verba πρῶτῶ & ex professo de electione ac reprobatione hominum æterna, sed de rejectione seu ἀπώσει (quâ voce ipse utitur cap. XI, 1, & 2.) Judæorum, & vocatione Ethni-

Ethnicorum præsentanea, temporanea, oculisque hominum expo-
sitâ. Utrorumque verò, non omnium, sed quorundam; non sim-
pliciter, sed certo cum respectu consideratorum.

§. 8. Judæi nempe non ex puro & nudo DEi arbitrio dicun-
tur repudiati, quatenus Judæi, sed ea ratione, quatenus justitiâ le-
gis tumidi & confisi, Christum cum suo merito averfabantur. vers.
32. cap. IX.

§. 9. Gentes quoque misericordiam consequi, & in popu-
lum DEi legi & colligi scribuntur, non quâ gentes idolis & dæmo-
niorum adhuc cultibus deditæ, sed quatenus, his relictis, Christo
nomina dabant. cap. XI, 20.

§. 10. Facit huc exordium Pauli, quò animi sui exponit ægri-
tudinem, ex conditione fratrum conceptam, qui ipsi *σὺν χενοῖς*
Jesum, quem prædicabat, pro Messia agnoscere & colere, non so-
lùm recusabant & persequebantur, teste Apostolorum historia.

§. 11. Quâ suâ vesanâ *ἀπίθειά ἢ ἀπιστία* se suosque promif-
sionum divinarum, quæ Patribus olim factæ, Christo unicè inni-
tuntur, 2. Cor. I, 20, fructu privabant, DEo justissimam faciendi
divortii causam præbebant, repudium extorquebant, & sic à DEo
avulsi exitio se implicabant.

§. 12. Facit huc ipsa hujus argumenti de abjectione Judæorum *Ἐξερ-
γασία*, in qua rejectionis Judaicæ causa non deducitur ex prædesti-
natione & creatione, sed ipsorum incredulitati impingitur, simul-
que typhus, quò in gentes ceu indignas salute non sine invidentiâ
efferebantur, retunditur. In quem finem ab initio statim de filiis
Abrahæ agitur, non in hunc vel alterum finem ante condita secu-
la destinatis, & certa atque immutabili ratione progressuque tem-
poris DEo providente creandis, sed de semine Abrahæ jam tum
creato, & in theatrum mundi producto, hoc est, non considerat
gentem Judæam ex natura absolutæ & arcanae prædestinationis,
qualis in DEo nulla, sed misericordissimæ in peculium factæ ele-
ctionis (quæ creationem præsupponit) & subsequenter gratuitæ li-
berrimæque promissionis, quæ ut Christum ceu basin includit,
sic omnes, qui manent alieni à Christo, excludit.

§. 13. Facit huc vers. 11. *Nondum natis pueris, cùm nihil fecissent* Vers. 11. *Evo-*
boni vel mali, ut propositum DEi, quod secundum electionem, non ex operibus, lutio,
sed ex vocante maneret, dictum est ei: major serviet minori,

§. 14. Quæ

§. 14. Quæ verba concepta sunt (1) *ad infringendos Judaorum insultus*, qui divina opera & beneficia ex meritis hominum metiebantur, cujus contrarium est in exemplo Esavi & Jacobi. (2) *Gemellos hosce sistunt* Judæis contemplandos, non tanquam elapsis aliquot seculis demum prodituros, sed jam extantes. Etsi enim nondum erant in lucem editi; tamen concepti latebant in alvo materna à DEO creati & perfectè formati. (3) *Oraculum*, quod de ipsis edebatur, sortem respiciebat externam, non autem salutem æternam, Gen. XXV, 23. *Duæ gentes in utero tuo, & duo populi de visceribus tuis dividuntur. Populus autem populo robustior erit, & major serviet minori.* Vaticinia nimirum de futuris proferuntur, non de præteritis. (4) *Perperam* igitur & βιαίως revocatur ad prædestinationem antegressam, quod pertinet ad gentes utriusque originis ratione, in utero matris adhuc conclusæ, conditionem & collisionem, secuturam. (5) *Electionis* quoque in DEO propositum, cujus hinc meminit Apostolus, horum spectat, quòd DEUS citra operum, meritiq; vel hujus vel alterius intuitum, ex gratia & beneplacito Jacobum prætulit Esavo, eumq; hæredem promissionis de futuro Messia, ex sanguine suo prodituro, & de Ecclesia in ejusdem familiâ perpetuendâ constituerit, posthabito Esavo, cum posteris: Gratia enim DEI non pendet à dignitate & merito humano, sed est omnimodò gratuita. (6) *De Jacobo* verò ad vitam præ altero absolutè & simpliciter eligendo, & de Esavo à regno cœlorum sequestrando, igniq; infernali mancipando, ne vestigium quidem vel apud Moysen, vel apud Paulum reperire est. (7) *Typum & imaginem* referat sanè Jacobus & quidem gentium, à DEO misericorditer ad Ecclesiæ consortium vocandarum, Edom Judæorum, quos justè rerum omnium arbiter præteribat.

§. 15. Sed veluti olim Esavo nefas erat obloqui, aut oggannire DEO, liberè agenti, seque Jacobo postponenti: sic neque Judæi habent, quod in DEO suggillant, eò quòd gratiæ suæ fontes derivet ad gentes, cum illi eosdem, si non obturent, certè in hortos suos haud admittant.

§. 16. *Facit huc Oraculorum Prophetiæ allegatio* cap. IX, 24. seqq. de gentibus in populum DEI adsciscendis, & Judæorum reliquiis servandis & salvandis.

§. 17. Esto

§. 17. Esto igitur hoc PRIMUM Calvinianis oppositum propugnaculum: Omnis explicatio, quæ scopo docentis atque seriei disputationis minus convenit, illa perversa & proscribenda. Adversariorum explicatio, quæ dicunt, Paulum in similitudine adducta de figulo & vasis, assurgere seu digitum intendere ad prædestinationem absolutam & simplicem, minus convenit scopo & disputationis cursui. E. perversa & proscribenda.

§. 18. Ponderemus nunc etiam *Emphases verborum*, visuri an illa nobis penetralia dictæ prædestinationis aperiant. Ita autem habet *Versus 21. An non habet potestatem figulus, &c.* ubi tam excordes haud putaverim ἀντιμαχῆς, ut sermonem vel contentionem tribuant illi, quod nondum esse cœpit: oportet quippe prius ut figmentum existat factum, quàm ut cum suo fictore exostulet, quòd sic, quòd secus factum fuerit.

Emphases
vorum.

§. 19. Deinde quæsierim ex antagonistis, an homo comparetur vasi, quod ad Calendas vel Græcas vel Latinas fieri & produci potest ex materia nondum præparata & typo applicata; an potius illi, quod jam effigiatur, vel effigiatum & perfectum est? Nos enim ita statuimus: Uti lutum, nisi ex arte subactum & ad certam figuram redactum, vas dici nequit: sic homo vasi non comparatur, nisi jam per creationem factus, & vel inter credentes, vel incredulos relatus.

§. 20. Tertio verbum quoque κατηρησμένα, quod præteritum respicit tempus, vasa indicat jam effecta & actu existentia, non autem figuli opera olim effingenda. Quomodo igitur Paulus assurgit, ut Beza contendit & Piscator, ad sublime & arcanum divinæ proscriptiois consultum? Ratione enim decreti dici non possent κατηρησμένα, sed κατηρησθέντα σκεύη, nisi velimus dicere, decreta DEI facta fuisse de præteritis, & non de futuris.

κατηρησ-
μένα.

§. 21. Quarto verbum ἠνεγκεν, toleravit seu sustinuit, præsupponit creationem hominum, veluti usus rei perfectionem. Neque enim toleratur, nisi quod est, & quod animo minus allubescit nostro: Quod verò quis pro suo ornat & tornat lubitu, id non tolerat, sed in amore habet & delitiis.

Toleravit

§. 22. Quinto dicitur, vasa iræ DEUS in multa lenitate tolerare, non quòd talia fecerit, sed talia cum fuerint, quòd non pro jure suo & in peccata nemese citius confregerit & aboleverit. Refer huc Rom. XI, 28. & Sapient. XII. in primis versum 18. Sed tamen tu potentia dominator in æquitate judicas, summâq; cum indulgentiâ nos gubernas.

Lenitate

nas, quoniam posse, cum volueris, præstò tibi est. Animadvertit & sentit, idem Ambrosius super hunc locum: Putatur non vindicaturus, quamdiu dissimulat; cum autem cœpit vindicare, apparet ejus potentia, quia, cum possit statim vindicare, diu sustinuit, ut perfidi queri non possint damnati.

§. 23. Sextò, quid multis? spes & metus sunt futurorum, poenitentia præteritorum, *μακροθυμία καὶ τὸ φέγειν* seu patientia præsentium.

§. 24. Ultimò, per quæ DEus jam tum, cum ad Mosen loqueretur, volebat in terris notam facere suam potentiam & gloriam nominis sui, ea oportebat esse præstò & in parato. Per vasa iræ & per Pharaonem volebant notam facere suam potentiam & gloriam nominis sui in terris (non autem in inferno). Ergò oportuit, ut tum extiterint facta.

§. 25. Assurgat jam ALTERUM propugnaculum: Quæ explicatio dissonat à verbis, eorumq; sensum nativum & germanum destruit, illa minimè approbanda. Talis est adversariorum. Ergò minimè approbanda.

§. 26. Descendamus à verbis ad exempla, quæ hoc in loco reperire est, puta *Ismaëlis, Esavi, Pharaonis, Judeorum.*

Exempla Ismaëlis & Esavi.

§. 27. De prioribus prius: Quicunque sunt exempla reprobationis immerita & absoluta, quam profitentur adversarii, illi non possunt non sine limitatione ulla in reprobatis numerari. Ismael & Esau non possunt, neque quoad se, neque quoad posteros, indistinctè in reprobatis numerari. Non itaque exempla sunt reprobationis. Sive nomina ista de individuis intelligantur, sive de posteris: conjunctim enim sumi nequeunt. Robur accedit assumpto ex seqq. Quicunque à DEo reprobatur, antequam nascitur, ille certissimè, infallibiliter, *ἀναγκάτως* damnatur, postquam natus. Propositio hæc adversæ parti est *ἀντίρροπος καὶ ἀναντιρρήτος*. Ismael & Esau non sunt damnati, postquam nati. Non igitur reprobati nondum nati. Minor propositio cum sit negativa etsi probationis immunitate gaudet, tamen *ἐκ περιστασίας* aliquid addamus: Ille infallibili judicio nigrum damnationis theta scribendū à Rhadamantis nostris, de quo palam & certò constat, quòd sit in sua mortuus impœnitentia. De Ismaele & Esavo certò non constat, quòd obiverint impœnitentes. Ergò illis nigrum æternæ mortis theta haud scribendum.

§. 28. Proferant enim tribunalis divini invasores ex archivis cœli, si possunt, finalis impœnitentiæ instrumentum seu monumentum, cujus utrumque arguunt & damnant, & nos protinus damna-

damnatorix, quam de illis ferunt, sententiæ calculum addemus nostrum.

§. 29. Interea dum illi occupantur in documento è tenebris producendo, nos argumentationis telum in illos retorquendum paramus: *Ille nequit annumerari reprobatis & exemplum esse reprobationis, quam Calviniani fingunt, & Ecclesiis obivudere frustra hæcenus allaborarunt, de quo pronunciarum certo nequit, quod sit damnatus. De Ismaële & Esavo non potest pronunciarum, quod sint damnati. Ergo nequeunt in reprobatis numerari, & exempla dare reprobationis absolutæ.*

§. 30. Militant pro nostra parte contra dictæ reprobationis magistros rationes sequentes: (1) *Quia* utriusque ingenium, mores & fortunam, sive personas spectemus, sive gentem ex his prognatam, sacra prædixere oracula partim, partim descripsere historia: de reprobatione verò & damnatione alterutrius ne γεὺ Gen. XVI, 12. XXI, 20. XXV, 17. Non igitur decet Decios istos tribunal Christi invadere, & silente, qui in Scripturis loquitur, Spiritu Sancto, mortis iudicium ferre in eos, qui feliciori auspicio omineque nati, & molliori fato denati. (2) *Quia* ambobus gratia illa σωτηριῶς Tit. II, 11. cum per circumcisionis acceptæ Sacramentum; tum per renovatum de semine benedicto Evangelium, oblata fuit & collata, Gen. XVII, 23. (3) *Quia* hoc ipso circumcisionis sigillo illis, in fœderis cum DEO societatem ascitis, iustitia fidei obsignata fuit, Rom. IV, 11. (4) *Quia* Ecclesiæ membra esse haud destitère, nihil obstante; quod capita illius seu lumina constitui haud potuere. Isaaco scilicet & Jacobo prærogata erat Patriarchica ὑπεροχῆ, à qua pendeat linea promissi Messix & continuandæ Ecclesiæ. Interim, neque Ismaëli, neque Esavo iisdem cum fratribus communicandi sacris ablata potestas, imminuta libertas. Unis demandata veræ religionis cura, commissa repetitæ promissionis custodia: alteris ad fidem & salutem non præclusa via. Illorum posteros DEUS peculiari ratione pro firmanda & conservanda inter eos Ecclesiæ sede usque ad adventum Messix selegerat in regale sacerdotium ac sacerdotale regnum & gentem sanctam, Exod. XIX, 6. Ismaëlitis & Edomitibus non miserat salutis repudium, nec ad bona Ecclesiæ obseperat aditum, sed potius muniverat, Deut. XXIII, 7. (5) *Quia* in avita paternaque religione persistère, id quod animadvertere est non tam ex Genealogiæ & prosapiæ descriptione, Gen. XXV, 12.

Rationes pro
illorum salva-
tione.

& cap. XXXVI. per integr. quàm ex concordia cum fratribus, quantumvis sibi prælatis, & in Messia proavos lectis & evecis, sanctè cultà, ex parentum exequiis, quibus reverentiæ fideique testandæ ergò uterque interfuisse legitur & collegitur, Gen. XXV, 9. XXXV, 29. ex circumcisionis ritu, quem alterutrum abjecisse nusquam legimus, custodivisse & ad seram posteritatem transmisisse præter historicos multa sunt, quæ persuadent, & argumento sunt vel ipsi Turcæ, ex Ismaëlis sanguine prognati.

§. 31. *Quid verò de Isaaci amore, quò Esavum complectebatur, quid de consilio, quo eum sibi successorem cœcutienti surrogare, benedictionem impertiri, cathedræ & curiæ clavum tradere voluit, quid statuemus? Aut oraculum divinum nescivit, quò prædictum minoris in majorem dominium; aut si scivit, de reprobatione DEi aterna & relegatione ab Ecclesia temporali non intellexit; aut si intellexit, divinæ dispositioni & determinationi obluclari & resistere nihil metuit. Quodcunque horum dixeris, fieri aliter nequit, quin tanto Patriarchæ vel inscitia crassa, vel negligentia, & vecordia vituperandæ, vel impiæ adversus DEi consilium audaciæ & inobedienciæ notam inuras & crimen impingas.*

Error Paræi.

§. 32. *Malè igitur, quin & falso PARÆUS in suis super Epistolam ad Rom. Commentariis pag. 872. scribit, Esavum reprobatum fuisse, à fœdere & salute. Et iterum: Damnatum eum esse, nimis esse probabile, nisi ostendatur, vel eum ante obitum reversum esse ad Ecclesiam, vel aliquos extra Ecclesiam servari. Cui oppono BEZAM in Jobum cap. 1. Etsi Esavus multis modis sese profanum fuisse demonstravit, ipsum tamen non dici à fœdere DEi, sed à primogenitura duntaxat excidisse statuo. Ac quemadmodum vigente adhuc Testamento antiquo, quod angustioribus conclusum erat finibus, & arctioribus astrictum legibus, subinde aliquos ex vicinis Judææ populis, puta Edomitis, Ismaëlitis, Madianitis & Kedarenis ad populum Israëliticum accessisse, verumque DEum coluisse verisimile est, (de cæteris Cananæ gentis reliquiis, Tyriis, Jebusæis, Philistinis, Hettæis, & multis aliis nihil dicam,) sic in Novo Testamento dirutà macerie pleniori numero advolasse gentes ad montem Domini, vaticinia ostendunt. Prophetarum, Esa. II, 1. 2. 3. Mich. IV, 2. 3. Esa. LX, 6. 7. XLII, 12. Jerem. XLIX, 11. confirmat historia Evangelistarum, Matth. VIII, 11. Marc. III, 7. 8. Matth. XXVIII, 19.*

§. 33. Fi-

§. 33. *Fidem illis, quæ de Esavi posteris diximus, faciunt Exempla* Exempla.
 Jobi, Eliphaci Themanitæ, Zapharis Nahamatitæ, quos ab Esavo
 ortos largitur nobis Junius in *Bibliis super Jobum*; Bildadis Suchitæ,
 quem idem à Sucha filio Kethuræ Abrahamico descendisse scribit
Job. II, II. Hobabi Madianitæ ex stirpe Ismaëlis sati & posterorum
 illius, qui non tam Keneorum & Rechabitarum familiâ, quàm suâ
 inter Israëlitas habitatione celebres fuere, Num. X, 23. Judic. I, 6.
 IV, II. I. Sam. XV, 6. I. Chron. II, 55. Jerem. XXXV.

§. 34. De his AMBROSIIUS *super Epistolam ad Rom.* Nec enim,
 quia Jacob laudatur, omnes ex eo nati, filii ejus merito dicendi sunt; aut
 quia Esau displicet, omnes ex ejus origine reprobi sunt. Cum videamus, & de
 Jacobi traduce natos, factos perfidos, & de Esau fideles & DEO charos: nam
 quod & de Jacob multi sint perfidi, dubium non est; & quia de Esau sunt boni
 & fideles, probat Job, qui est ex filiis Esau, quintus ab Abrahamo, hoc est,
 nepos Esau.

§. 35. Astipulatur his & BEZA *super Jobum*: Non intelliguntur
 Idumai simpliciter à fœdere DEI exclusi, eò quod ex terra Canaan secessit
 Esau, sed fuit tum quoque verus DEUS inter Esavi posteros, si non omnes,
 at certe quibus DEUS benedixit & agnitus & sanctè adoratus, non tantum
 cultu illo, ex vetustissimis Patriarchis accepto, sed etiam specialiter ex doctrina
 & revelationibus Abrahamo & Isaaco patefactis. Hoc enim dubium etiam
 non est, quin Abrahamus studiosè & accuratè nepotes illos suos Jacobum &
 Esavum diligenter hoc de ipso testimonium expressum perhibente Domino,
 docuerit, utpote quos viderit, annum decimum quintum agentes. Sed quid
 plura? ex fructibus arbor dignoscitur. Hæc ille. Alibi verò sui oblitus,
 inclementius judicat de Esavo, eumque non minus à cœlo extorrem,
 quàm terræ Canaan exantaxanon facit, ut in *Glossis super vers. II. 13.*
cap. IX. ad Roman. contra Castell. fol. 345. Quæ sententia non paucos
 in gente Calviniana approbatores invenit.

§. 36. His ita se habentibus, quæ de Ismaële, Esavo & horum
 disputavimus posteritate, emergit nobis talis conclusio: Quorum
 damnatio incerta latet, de illis impudenter non minus, quàm imprudenter
 pronunciatur, quod sint reprobati, & vasa iræ à DEO coagmentata. Ismaëlis,
 Esavi, & quæ ab utroque profeminata fuit, posteritatis damnatio incerta
 latet. Ergò impudenter non minus, quàm imprudenter de illis pronunciatur,
 quod sint reprobati.

Error Paræi.

§. 37. Erroneum igitur & falsum est, quod PARÆUS aliquoties effudit in *Commentariis super cap. IX. ad Romanos*, Esavum non tantum adumbrasse reprobationem posterorum, sed ipsum fuisse reprobatum à gratia fœderis adoptionis & salutis: *Dubio IV. VIII. IX.* Quin inexpugnabili veritatis vi subactus cogitur fateri, quod neque omnes posterius unius sint electi, neque alterius contra reprobati. *pag. 872.* Non igitur reprobatio in posteris Esavi statuenda quatenus posterius, sed quatenus impii & veræ religionis desertores.

§. 38. Unde novum nostræ sententiæ accedit subsidium, quod sic ostendo: *illis secundum adversarios accommodari debet, quam præ manibus habemus, similitudo, quibus ratione aeternæ absolutæq; prædestinationis, ac succenturiatæ creationis competit.* Ismaëli, Esavo, eorumq; soboli universæ non competit, ratione absolutæ prædestinationis & creationis. Ergò non debet illis accommodari. Et quod hinc non potest non confici, Paulus in sua allegatione non intuetur dictos homines, tanquam ex arbitrio DEi ad vitam necemve æternam devotos & condendos, sed ut conditos, in quibus liberæ suæ actionis & in peculiarem populum electionis, atque collectionis, specimen ediderit luculentissimum: de qua *Deut. VII, 6. 7. Psalm. CXLVII, 19. CXXXII, 13. Esa. XLI, 9. Psalm. LXXVIII, 68.*

Refutatio
κατὰ συ-
χώρησιν.

§. 39. Verum enim verò si largiamur adversariis, quod volunt, & concedamus propaginem Abrahami, quâ de litigamus, fuisse abdicatam, & in exilium quasi pulsam, nihil tamen inde vel lucri, vel subsidii ad causam suam tuendam reportabunt. Etenim sacræ literæ temporalis tantum ejectionis & repulsæ meminere, quam nos haud inficiamur: Adversarii exilio quoque mulctatam volunt cœli, idque æterno & mero DEi lubitu libituque, quæsito postmodum prætextu, &, uti Piscator loquitur, subordinato, pro fine isto consequendo peccato: quam opinionem Scriptura non solum ignorat, sed etiam ad inferos relegat, & nos cum ipsa.

§. 40. Prætereà quicquid hujus generis contigit Ismaëli & Esavo, id culpa fuit meritum, non absolutæ in DEo voluntatis decretum. Primus suam ex ædibus paternis relegationem accersivit primogeniti fratris ex Sara odio, persecutione & insidiosa supplantatione, *Gen. XXI, 9. Gal. IV, 23.* Alter profanâ primogenituræ prostitutione & venditione malum sibi attraxit, nam & dignitatis suæ erat prodigus & parentum minus observans, *Gen. XXV, 32. XXXVI, 35.* Promissiones
inte-

interim DEi, præsertim spirituales, quæ pœnitentiam respiciunt, temporalibus hujusmodi pœnis minimè evacuatae & sublatae expirarunt. *Addo & hoc*: Qui universis gentibus in semine Abrahami promptissimè & liberalissimè spondet benedictionem, Gen. XII, 3. ille ne in filios, nepotes & posteros Abrahami tam iniquus, ne dicam invidus, infidus & crudelis fuerit, ut eos à participatione benedictionis & salutis, tam prolixè tamque benignè promissæ, ex mera quadam animilibidine & malevolentia occultè suspendat, sequestret abarceat & inanibus verbis lactet? Scilicet Pater iste cœlestis Φιλοσοφίας humanæ fons & speculum lucidissimum panem ostenderit, lapidem porrexerit; piscem obtulerit, serpentem tradiderit; ovum monstrarit, scorpionem exhibuerit, Luc. XI, 11. *Vah ἀσεβὲς καὶ βλάσφημον!*

§. 41. Veniamus nunc ad Pharaonem, quem *vas ira & ignominia* Pharaonis: fuisse, utrinque in confesso. De hoc dicitur, quòd DEus illum *excitavit sive constituerit, & stare ac restare fecerit seu reservavit*, Exod. IX, 16. (& reservando hoc interim mente voverit,) ut, quia neque verbo, toties proposito, neque plagis, quibus crebris vicibus affectus, duritiem suam frangi & corrigi patiatur; sed peccatorum mensuram, ad redundantiam usque implere strenuè pergat, ut, inquam, suo interitu, qui eum in mari rubro maneat, toti mundo testatam & declaratam reddat, potentiam DEi & adversus peccantium obstinatum πυρός ἔηλον, ut loquitur Epistola ad Ebr. X, 27.

§. 42. Aliud igitur est *constituere, excitare, ἐξεγείρειν*, & ut Oecumenius περιφράζει, ὑψωθῆναι, aliud κτίζειν & *create*. Hoc prius, illud posterius: neque enim excitatur & reservatur, nisi quod creatum: creatio dat esse, excitatio ei, quod est, aliquid addit peculiare, sive quoad eventum & finem, sive quoad statum & conditionem.

§. 43. Hallucinatur itaque BEZA, dum scribit, Paulum ad fontem ipsum, id est, ad propositum DEi progredi & ad voluntatem, ordine omnia alia antecedentem, conscendere: in *Glossa super hac verba*. Error Bezae.

§. 44. Nimis quoque cruda sunt verba PARÆI, pag. 335. DEus omnes tyrannos & reprobos *justissimè excitat, hoc est, creat & ab aeterno create decrevit ad hoc ipsum, ut in eis suam potentiam ostendat, &c.* Non enim Paulus exemplum Pharaonis adducens, cogitatione suâ regreditur ad secretum vel prædestinationis vel initium creationis divinæ, ac si vi Paræi.

si vi



si vi & ἐνεργείᾳ utriusque Rex iste talis evasisset, qualem se partim DEi mandatis obluendo; partim populum affligendo, nec non & Mosē eludendo exhibebat; sed in rem quasi præsentem intendit, nosque simul ducit: ubi conspectui nostro sistitur Centaurus iste in sublimi constitutus, & ad ἀκμὴν desultoriæ malitiæ, ferociæ ac pertinaciæ progressus, mox tragico exitu divinæ potentiæ & νεμέσεως exemplum toti mundo præbiturus, omnibusque seculis monumentum relicturus. *Tarditatem pœna DEus gravitate compensat, & quò diutius in delictis divina connivet longanimitas, tantò atrocius illa vindicat severitas.*

§. 45. Sic igitur Thyphon iste vas iræ atque exemplum reprobationis est, sed non absolutæ, quæ ex mero & ab omni aliarum causarum consideratione nudo puroque decreto pendeat, scaturiat, ac creationis subordinatæ medio in actum & lucem erumpat, sed quæ obstinatam hujus & incorrigibilem hominis pervicaciã respiciat & involvat.

§. 46. Scitè perquàm in hunc sensum Theophylactus in *Enarrat. Epistolæ ad Rom. fol. 364.* Iræ vas erat Pharaos, hoc est, homo accendens iram DEi per propriam suam duritiem; hunc tulit DEus, id est, expectavit, sustinuit. Nam multâ ipsum longanimitate dignatus est: verùm is longanimitate ista ad indurationem sui abusus est, factusque est vas iræ DEi, capax, apparatus ad interitum, id est, à seipso proprioque ingenio aptatum, neque enim quicquam reliquit, quod ipsum perderet, verùm omnia patravit, quæ ad perniciem ipsum ferrent. *Vel tulit pro in medium protulit, accipias, ut, quia non respuit, nec in meliorem statum est animus ejus perductus per longanimitatem, puniat eum DEus, ostendatque potentiam suam, ut alii sese emendent, sanctioribusque moribus imbuantur. Videatur & Oecumenius, qui non longè ab his abit. Claudam & hîc: Quem DEus ad hoc excitat, ut eum ob suam pertinaciam & tyrannidem perdat, de eo dici non potest, quòd DEus in eo ante secula reprobando culpam & peccatum nihil pensi habuerit. Pharaonem & reprobos alios excitat DEus, ut eos ob pertinaciam & tyrannidem perdat. Ergò ipsi in illis ab æterno reprobandis culpa & peccatum pensifuit. Ratio Majoris: Omne quòd DEus facit in tempore, id ab æterno facere decrevit. DEus hoc facit in tempore, ut perdat propter pertinaciam reprobos. Ergò ab æterno hoc facere decrevit. Quæ ut ex verbis PARÆI deducimus: ita his ipsis absolutam ejus reprobationem destruímus.*

§. 47. De

§. 47. De Judæis, quibus cum Paulo in hac disputatione negoti- Judæorum
um, rem uno & altero transigamus Syllogismo: Si in similitudine de
figulo & vasis Paulus oculos convertit ad abyssum prædestinationis æternæ, &
quæ eam ceu primum medium aperuit, creationem, consequens est, quod & Ju-
dæi (si modò illis quadrare & accommodare debet) sint absolutè à
communione beneficiorum, per Christum partorum, proscripti & remoti. Fal-
sum posterius. E. & prius. Pro quibuscunque Paulus, qui novit mentem
Domini, 1. Cor. II, 16. lucrands & ab errore reducendis, tantum sollicitudi-
nis & laboris insumsit, illi non sunt absolutè reprobati. Pro Judæis lucrands &
ab errore reducendis multum laboris & sollicitudinis insumsit. Ergò non fue-
runt absolutè reprobati. Addo & hoc: Quibuscunque sub respicientia con-
ditione venia patet peccatorum, & jactura misericordiæ, illi non sunt simplici-
ter & præcisè à DEO rejecti & à salute non minus atque mediis salutis exclusi.
Judæis patet sub respicientiæ conditione venia, &c. Jer III, 7. 8. 9. Rom.
XI, 24. Ergò non sunt simpliciter & præcisè rejecti. Respondet huic ar-
gumentationi & altera: Qui eâ lege abdicantur & exheredantur, ut spes
misericordiæ consequendæ, & gratia, apud Patrem cœlestem per Filium recu-
perandæ, relinquatur salva & integra, illi nullâ ratione & specie veri possunt
dici absolutè reprobati & ad damnationem proscripti. Judæi hâc lege abdi-
cati sunt & exheredati, &c. Rom. IX, 27. 28. 29. X, 12. XI, 1. 2. II.
23. 30. Ergò &c. Et quod denuò repetendum: non loquitur Pau-
lus de Judæis eo modo, ac si antequam nati simpliciter & absolutè
fuerint inter exules cœli proscripti & descripti, ideoque ab accessu
ad regum Messiaë prohibiti. Sed tales proponit sibi & nobis, quales
tum erant, nolentes scilicet Evangelio ὑπακούειν, Rom. X, 16. & ex
illo Messiam exhibitum agnoscere, deque consilio DEI ex ejus morte
vitam sperare. Refer huc parabolas Christi, quæ hanc DEI propen-
sam voluntatem, & Judæorum παρακλήσιν ac noluntatem nobis proponunt.
Matth. XXII. Luc. XIV. Matth. XXV. item cap. XXIII, 37. Quoties
volui congregare filios tuos, sed noluistis. Luc. VII, 30.

§. 48. Ventilavimus hæctenus exempla, quæ TERTIUM extru-
endo propugnaculo suppeditant fundamentum: Quæcunque dicti Bi-
blici explicatio & applicatio nullâ exemplorum certitudine illustrari potest &
firmari, illa detorsionis violentæ & depravationis meretur nomen. Expli-
catio & applicatio dicti nostri Biblici, quâ Calviniani ad falciendum abso-
luta suæ reprobationis secretum abutuntur, nullâ exemplorum certitudine fut-
civi & illustrari potest. Ergò &c.

D

§. 49. Re-

Rationes

§. 49. Restant in hoc Capite rationes & suffragia humana, de quibus *συνημμένως καὶ συντόμως*. Quo in circulo Prophetæ, usurpantes similitudinem de figulo, sese continent, illum egredi Paulum nulla ratio subest, ut credamus. Nam & ab illis eam mutuatus est, nec alio, quàm ipsi scripsit Spiritu, nec disparibus adhibuit auditoribus. Illi continent se in circulo rerum secularium, id est, accommodant similitudinem ad statum sui temporis & hominum tum viventium, ad principium creationis Adamicæ & prædestinationis *βαθὺ* nuspian ascendunt, nunquam subvolant. Ergò neque Paulum eum egredi circulum probabile.

Calvini audacis.

§. 50. Falsum miscuit vero CALVINUS, dum inquit in cap. XLV. *Esa. fol. 379*. Hoc discrimen est: de presentis vita cursu differit Esaias; Paulus verò ad rem cœlestem & aternam transcendit. Hem! dictator iste pro more, sibi & sui genii hominibus in hoc argumento ferè perpetuo, venditat pro certo & rato, quod dubium & controversum.

§. 51. Sed progrediendum:

Cæcus forte ducem cæcum si nactus oberret,

Incidet in foveam pariter demersus uterque. Luc. VI, 39.

Adversarii similitudinem de figulo & vasis urgentes, & rationem ejus nullam reddentes, neque convenientiam monstrantes, cæci sunt & cæcorum duces. Parata igitur ipsis fovea. Si constare debet *λόγῳ* similitudinis, oportet hominem ita se habere, uti habet se vas dedecoris: Ac qua ratione hoc ita dicitur, eadem de causâ & homo vasi confertur. Vas autem dicitur contumeliæ, non ratione intentionis, quæ est in mente opificis; neque ratione formæ, quam vas sortitum est; neque ratione materiei, ex qua conflatum; neque ratione ipsius formationis & compositionis, sed ratione usûs, cur adhibetur. Ergò & pari ratione homines comparantur vasis, seu dicuntur vasa ignominie, non ex opificis intentione, neque propter formam, neque materiem, neque ex ipsa creatione & productione, sed ex usu, quem præbent, jam facti & creati.

§. 52. Contrariorum eadem est ratio. Qua de causa Paulus dicitur à Christo vas electum, similem ob causam alii dicuntur vasa *ἀδόνημα*. Ille dicitur respectu Apostolatus seu ministerii, non autem electionis ad vitam aternam, vas electum: sic explicantibus Christo, Joh. VI, 70. XV, 16. Paulo, Galat. I, 15. & 16. Ergò & similem ob causam, & non ab reprobationem à vita aterna vasa dicuntur *ἀδόνημα*. Jer. VI, 30.

§. 53. Denique & Interpretum, qui nobis sunt post principia, non distituimur suffragiis. Paulum enim de divortio agere seu repudio,

pudio, quod DEUS, re ita postulante, renunciabat Judæis incredulis, & de novo, quod cum gentibus per vocem Evangelii contrahebat connubio, de quo prædictum Esa. L, 1. & 2. Jerem. III, 1. & 8. Hof. II, 2. & 18. Interpretes cum veteres tum recentes profitentur loquentes, vel non inficiantur tacentes.

§. 54. CALVINUS adversariis est instar omnium, qui cap. IX. ad Rom. fol. 65. ita commentatur: *Hoc capite incipit occurrere offensionibus, quæ hominum animos divertere à Christo poterant: quod Judæi, quibus ipse ex legis pacto destinatus erat, non modò eum respuebant vel habebant contemptui, sed magnâ ex parte abominabantur.*

§. 55. Quod autem adversarii subnectunt, Paulum argumenta pro Judæorum rejectione ex absolutæ reprobationis scrinio depromere, in eo Paulo suam scabiem affricant, & τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνουσι.

§. 56. Tandem colophonem huic Capiti imponemus: *Quicumque simile Paulinum de vasis & sigulo ad homines transferunt sub consideratione creationis & prædestinationis, & non sub respectu status seu cursûs hujus vite, illi aberrant à scopo authoris, violant verborum συνάφειαν, injuriam faciunt exemplis, rationes & interpretes nihili faciunt, eorû nomines ipsorum explicatio & allegatio falsi & absurdi jure meritoq; anquiritur. Calviniani bene multi eò, quò dixi, modò simile illud Paulinum torquent & detorquent. Ergò à scopo authoris aberrant, verbis & exemplis vim inferunt, &c. ideòq; falsi & absurdi eorum explicatio & applicatio jure anquiritur.*

CAPUT VI.

De Subjecto Apostolicæ similitudinis, id est, de luto & vasis, quidnam & quinam per illa intelligendi veniant, ubi simul de ira & odio, amore & misericordia DEI.

§. 1. Superiore ostensum Capite, Paulum non conformasse sermonem metaphoricum & allegoricum hominibus, quæ prædestinati, quæ creati, sed quæ in mundo constituti, & usibus accommodati. Jam investigandum est *subjectum* propius: quid nempe luto seu massâ denotetur, & quinam per vasa ira & misericordiæ intelligantur. Inquit enim Apostolus: *Nunquid figulus non habet potestatem luti, ut ex eadem massâ fingat aliud quidem vas in decus aliud in dedecus.*

§. 2. Inter adversarios, qui orthodoxi audire gestiunt, pondum De luto.

D 2

con-

conventum est, quid per *lutum* intelligi velint. Primi hujus gentis daduchi ἀεγοβατῆρες, & suis indulgentes speculationibus, massam convenire voluere generi humano condendo, ut loquitur Beza supra cap. V. §. 4. An verò homine nondum condito & antequam πρωτογονεῖς formarentur, massa illa in rerum natura extiterit, quæ fuerit, & ubi conclusa latuerit, hieroglyphicum vel Eleusinium esse censeo, quod ipsi nesciant autores, vel edisserere nolint.

§. 3. Rem mihi considerare videntur ἐν ἀφαιρέσει, more Mathematicorum, & homines ceu in idea conditos sibi imaginari: Uti huc intendit arcum Sibrandus in Commentariis ad XCIX. *Errores Vorstii*, pag. 791. Illa, inquit, massa, quæ est electionis & reprobationis objectum, æstimatur ut corrupta, non quòd ab aeterno talis fuerit, sed quòd in DEi conspectu talis fuerit. Sic BEZA in Scholiis: Mibi videtur nomen illud informis materia, ne condito quidem humano generi, nedum jam corrupto, satis convenire. Hunc de ponte dejicit PARÆUS Dubio XVII. in cap. IX. ad Rom. inquit: Hoc nimis subtile est, neque solidum, quicquid enim per materiam eam intelligant, limum terra, semen, vel aliud quid, informe non erit, quin vel corruptum dicatur, vel incorruptum: repetitur & canonisatur contra Bellarminum hoc consultum de Amiff. gratiæ & statu peccati, Lib. II. cap. XII. pag. 343. Accipit verò iste per massam naturam hominis corruptam, idque ob quatuor rationes: à propagatione humani generis; ab objecto prædestinationis & reprobationis; à commoda declarandæ misericordiæ & justitiæ occasione; ab authoritate Augustini desumptas. Assurgit Paræo TILENUS Theologus Seda-nensis in Consideratione sententiæ Arminianæ cap. I. Alius hominem ut nondum conditum; alius ut conditum quidem, sed adhuc integrum; alius ut jam lapsum DEo decernenti ac prædestinanti offert. Unde tres diversæ de prædestinationis decreto sententiæ, quibus aliæ plures adjici possent, si tam omnes recensere, quàm solam tertiam, quæ prædestinationis objectum non aliud statuit, quàm hominem lapsum, tueri, nobis propositum esset.

§. 4. PISCATOR, quæ est ἰδιο-νεξίτητος γυνωμοσύνη, per lutum, accipit hominem nondum conditum, integrum, lapsum: re-sorbet enim in sua ad Petrum Bertium verba, quæ olim contra Schaffmannum egresserat: Si DEus hominum alios ab aeterno decrevit servare ex misericordia, alios punire ex justitia: Ergò homines tum servandos, tum puniendos consideravit, & ut nondum conditos, & ut conditos integros, sed labi-potentes, & denique ut lapsos. Ratio, quia, nisi tribus istis mediis interveni-

enti-

entibus, ad fines illos pervenire non potuit. pag. 10. Quem pro merito suo sic excepit BERTILIS: Quid est ἀδολεσχεῖν, si istud non est: subjectum predestinationis est, homo non creatus (ut - - -, vel Adamabilis) creatus (ut Adam) non lapsus (ut Adam innocens) lapsus (ut Adam peccator).

§. 5. Hæc adversæ partis de massa lutea, ex qua vasa DEUS honoris & dedecoris sibi protrudat sive procudat, est sententia. Nobis religio, sapere ultra id, quod scriptum.

§. 6. Ἀπόδοσιν hujus similitudinis cum reticuerit Paulus, veremur eam ex tenui ingenii nostri penu supplere, ne æstimemur, ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ θεῖ φρονεῖν, Rom. XII, 3. Viderint verò adversarii, quòvis etiam modò lutum creationis primæ & remotæ fecerint materiem, ne creationem statuunt, quæ vel versetur in idea, vel consistat in δυνάμει, vel quæ omnes homines simul factos inferat.

§. 7. Nos creationem intelligimus, quæ res actu sunt & existunt, non quæ extra temporis & ordinis seriem fieri & existere possunt: nec massam, ex qua facienda sunt vasa, aliam hoc in loco accipimus, quàm quæ jam parata & creata: Sic enim vox φρεσμάτις usurpatur etiam Rom. IX, 21. XI, 16. 1. Cor. V, 6. 7. Quin & massam dare nequeunt humano generi communem, nisi ratione principii, vel κατὰ ἀφάρατον.

§. 8. Ad principium non ascendere Paulum, superiori Capite probatum. Et quæro hic: Utrum Adam & Eva nondum lapsi rationem habuerint masse, an vasorum? & si hoc; Utrum εἰς τιμὴν, ἢ εἰς ἀτιμίαν factorum? Si verò à lapsu naturam massæ induerunt, vel vasa non amplius fuere, vel si fuere, ex vasis producta sunt vasa & non ex luto; vel potest aliquid simul esse lutum & vas. Ubique scilicet aqua hæret adversariis, & verum manet illud Thomæ: Theologia allegorica non est ratiocinativa. Longè igitur satius in similitudinibus τὸ σφύγγου καὶ παχυμερέτερον sectari, quàm ad vivum omniare secare. Homines si ve in statu considerentur integritatis, si ve corruptionis si ve reparationis, lutum sunt & pulvis quoad materiem, quæ ἀτιμία, nullius precii; vasa sunt, quatenus opificis bonitas, sapientia, justitia in iis procedendis, ornandis, distinguendis & adhibendis occupatur. vide suprà cap. III.

§. 6. n. 3. Lutum igitur non tam ad communem omnium hominum naturam, quàm ad uniuscujusque ortum & conditionem referre possumus, imo debemus. vide Cap. II. suprà.

§. 2. De Vasis dispiciendum porrò: Ubi iterum in castris ad De Vasis iræ.



versariorum

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Sunt, qui vasa iræ *συνωνύμως* acceptant cum filiis iræ, quales omnes naturâ sunt homines. Sic enim CALVINUS *Lib. I. Institut. cap. XIV.*
 Paræus. *distinct. 18. Omnes impii & contumaces sunt vasa iræ.* Ita PARÆUS ad
 Rom. pag. 819. *Omnes sunt pariter ex natura hominum rei & pravi, filii &*
 Vorstius. *vasa iræ post lapsum.* Ita VORSTIUS contendit multis, omnes actu
 impœnitentes & incredulos vasa iræ dici, & pari cum his passu am-
 bulare filios contumaciæ, inimicos & expertes DEi, Ephes. II. IV. V.
 Joh. III. Rom. II. Psalm. V. & XI. *in amica Collatione, Sect. CXXIII.*
 Sed quâ est in Præceptorem modestiâ (Piscatorem intelligo) con-
 cedit, Rom. IX, 22. *induratos & impœnitentes καὶ ἔξοχὴν vasa*
 Paræus. *iræ nominari.* Contrâ PARÆUS suorum, quæ paulò superius cita-
 vimus, verborum immemor, appellationem hanc ad reprobos tan-
 tùm restringit: *Etsi, inquit, omnes homines naturâ sunt filii iræ pro-*
pter universalem corruptionem, non tamen omnes sunt vasa iræ, sed aliqui
 Piscator. *tantùm.* Dubio XVIII. pag. 954. PISCATOR quoque vestigiis ante-
 cessorum mordicus inhærens, non nisi de reprobis epitheton illud
 accipit, in *chartis contra Hemmingium, Vorstium, Bertium, Tauffrerum,*
 pag. 34. *Lubet unicum ejus emblemata huc inserere ex notis ad Vorstii*
amicam Collationem, fol. 212. Vasa iræ à Paulo nominantur, non quatenus
impœnitentes & increduli sunt, sed quatenus à DEo creati sunt ad hoc, ut DEus
iram suam in illis post hanc vitam in æternum exerat & exerceat.

Refutatio
 primæ sen-
 tentiæ. §. 10. *Bifurcata* cum sit seu *biformata* adversæ partis de vasis
 iræ opinio, nos priorem brevi tangemus & perstringemus brachio. *O-*
mnis electus est vas misericordiæ (hæc illis sunt *ἰσοδυναμῶντα*): *Nul-*
lum vas iræ est vas misericordiæ. Ergò *nullum vas iræ est electum.* *Nullum*
vas iræ est electum. *Omnes homines sunt vasa iræ.* E. *nulli homines sunt*
electi. Præterea: *Quicumque sunt vasa iræ, sunt impœnitentes, increduli,*
inimici DEi & filii contumaciæ (sunt & hæc quibusdam heterodoxis
 synonyma): *Omnes homines sunt vasa iræ post lapsum.* E. *omnes homines*
sunt impœnitentes. *Omnes impœnitentes damnantur:* *Omnes ho-*
mines sunt impœnitentes. E. *omnes homines damnantur.* Quod si ab-
 horrent ab his conclusionibus nostri Reformati, abhorreant etiam
 à præmissis, quæ talem nobis abortionem peperere.

De secunda
 sententia. §. 11. Sed nec in alteram sententiam cum adversariis planè con-
 cedere possumus. Neque enim similitudo Pauli ad homines se refer-

ri

ri patitur condendos, & objectivè in idea menti divinæ ab ἔργων-
 Εἰσῆταις præsentatos, sed ad conditos. Et quidem ad conditos, non
 δυνάμει, quoad rationem seminalem, ut Scholastici loquuntur, quâ
 in lumbis Adæ vel Noachi latuère conclusi: sed quatenus actu pro-
 ducti & in mundum introducti. Horum enim alii ad hanc, alii ad
 illam pertinent classem, & vas iræ & honoris quisquis est, illus ipse
 esse simul & semel vas misericordiæ & ignominia nequit, si modò
 distinctio Paulina sibi constare debet, nosque rectè & θεολογεῖν &
 διαλέγειν voluerimus.

§. 12. Sanè in genere vasa iræ dicuntur, quibus DEus irasci-
 tur; misericordiæ, quorum miseretur; honoris, quæ in DEi gloriam
 cedunt; dedecoris, quæ secus. Sed latiora hæc sunt, imò inferiora,
 quàm ut sensum Apostoli germanum plenè & planè exprimant.

§. 13. Quod ut evadat manifestius, de ira & misericordia DEi
 pauca hîc delibanda.

§. 14. Nec ira nec misericordia in DEo est per passionis affectum, sed
 per operis effectum. Ira, ait Thomas, non dicitur de DEo secundum passionem
 animi, sed secundum iudicium justitiæ, prout vult vindictam facere de peccato.
 in prim. secunda quæst. XLV. Art. 1. Respons. 4. AUGUSTINUS dicit,
 iram DEi esse voluntatem puniendi. de Civit. DEi Lib. XV. cap. XXV. Mife-
 ricordia voluntas est & bonitas opitulandi, & pro beneficentia seu
 gratuitis beneficiis, quæ DEus in homines confert, creberrimè usur-
 patur. Ira vergit in id, quod contra DEum, non quod in DEo, à DEo, vel
 secundum DEum. Nec enim sibi DEus ipsi succensere potest & contra-
 rius esse. Estque, παχυλῶς de divinis loquendo, justitia veluti
 surculus seu rivulus, qui ab odio non longè abit. Ex justitia DEus odit
 malum; ex odio irascitur; ex ira vindicat & punit. Hinc ira uti cum ju-
 stitia & iudicio coincidit: ita quoque nonnunquam pro illis exponi
 potest. Misericordia ad bonitatem pertinet, sicut & amor. Ex boni-
 tate DEus amat; ex amore miseretur; ex misericordia malis medetur. Et sic
 occupatur in malo, ut auferat, in bono ut conferat.

§. 15. Ira igitur si pro iudicio & vindictâ peccati sumitur,
 activa significatio esse potest in phrasibus sequentibus: Esa. XIII, 5.
 Veniunt Jehova & vasa furoris ejus ad disperdendum. Jer. L, 25. Pro-
 tulit Dominus vasa iræ suæ: hîc enim alio sensu, quàm Rom. IX. ac-
 cipi, uno ore & corde fatentur Calvin. super Esa. fol. 119. Ursinus fol.
 420. Oecomlampad. fol. 86. cujus hæc verba: Vasa iræ LXX. dicunt
 ὅπλο-

Misericor-
 dia.

Vasa iræ pro
 organis.

ὄπλομαί χεῖρας armatos pugnantes. Verùm Apostolus aliter vocat vasa iræ, nempe quæ DEus perdit, sicut vasa gloriæ, quæ honesto loco habet. Hic autem vasa iræ instrumenta, quibus iratos populos puniat. Pari significatione dicuntur vasa interitûs Ezech. IX, 2. vasa mortis, Psalm. VII, 14.

Pro objectis.

§. 16. Si pro objecto iræ seu exemplo, cui scilicet ira incumbit, seu adversum quod exardescit, accipitur, passiva locum habet significatio. Ira verò DEi nunquam exardescit, ubi culpa non præcessit. Præsupponit enim semper aliquid, quod divinæ justitiæ incongruum, voluntati adversum. Nihil verò vel incongruum vel adversum, nisi ἀνομον. Nihil ἀνομον, nisi αἰδέτηρον, 1. Joh. III, 8. Unde nulla vasa iræ divinæ subjacent, quæ vasa, sed quæ peccato seu excremento Diaboli inquinata & conspurcata.

§. 17. Nec ex uno & quolibet statim peccato efficitur & dicitur homo vas iræ, sed potius tum demum, ubi concurrunt plura non unum, magna non parva, atrociora non leviora, eaque cum pertinacia & impoenitentia conjuncta. Colligere hoc licet ex voce μακροθυμίας, quæ DEus vasa iræ perferre dicitur. Hæc uti versatur circa peccata multa & accumulata, sic epitheton πολλῆν enormia & grandia subindicat.

Vas iræ quid.

§. 18. Vas igitur iræ ex mente Apostoli, propriè & accuratè loquendo, non quilibet erit peccator, sed enormis, obstinatus, frangi & corrigi nescius, coagmentatus ad interitum, seu ita comparatus, qui interitum dignissimus, & eidem proximus ab omnibus cordatis judicari queat. Non interitum diffiteor, posse alios etiam impios nec non omnes infideles & ἀθέτους, qui sine Christo sunt in mundo, vasa iræ appellari. Sed de his & contra hos Paulus hoc in loco non agit, sed eos perstringit, qui aures & corda ad divina monita obturabant & rebellionem in DEum insurgentibus, quales erant Pharaon & Judæi. Quo stante, stat & hoc: nulla vasa esse iræ divinæ subjectum à priori, sed à posteriori: non ex nudo DEi consilio, sed ex justo peccati merito; non vi & efficacia divinæ reprobationis, omnes causas antegresse, sed ex culpa humane malitiæ divina præcepta transgressæ.

Vasa misericordie.

§. 19. Porro vasa misericordie duplici quoque nomine ita dici possunt; vel à beneficiis DEi communibus, quæ ex creationis & conservationis operibus fluunt, & sine discrimine in universos & singulos promanant, Matth. V, 44. Luc. VI, 36. Psalm. CXLV, 9. Sirac. XVIII, 13. sed hoc minus propriè. Deinde propriè & ad salivam Apostoli

stoli vasa misericordiæ nuncupantur homines, quos DEus gratis regenerat, justificat, sanctificat, in quos liberrima, sed & uberrima dona, cum communia pro concipienda in Christum fide & consequendâ salute, tum singularia pro exornanda cujuslibet persona & functione distribuit. 1. Cor. XII. per integr. Ephes. IV, 8. & II. Munere divino quod sumus, omne sumus, 2. Cor. III, 5. Psal. CXV, 1. 1. Tim. I, 16. Quò verò modò homines in tempore sunt misericordiæ vasa (sive organicè sive subjectivè accipias, nihil refert,) eodem etiam & haud alio modo DEus ab æterno illa facere fieriq; voluit, prævidit, prædestinavit. Fiunt autem homines vasa misericordiæ (subjectivè) gratis, beneficio Spiritus Sancti, per verbum & Sacramenta eos regenerantis & sanctificantis. E. hòc modò facere fieriq; voluit & ab æterno constituit. Patet Major ex vers. 18. Act. cap. XV. γυνώσκει ἀπὸ ἀιωρόσ ἐστὶ τὸ θεῶν πᾶντα τὰ ἐργὰ αὐτῶν. Nihil est in opere DEi, quod non fuerit in mente DEi. Idem & eodem pacto licet adversarii concludant de vasis iræ: Quâ ratione homines (creati scil. & beneficiis à DEo affecti) evadunt vasa iræ, eadem ratione etiam DEus eos in talia evasuros ante secula vidit, & ita comparatis, non autem à se factis vel faciendis, certas pœnas constituit. Evadunt vasa iræ proprii ingenii malitia & perversitate, Diabolo potius, quàm DEo obsequentis, (non autem consultu, instinctu, impulsu, tractu, multò minus tacitâ operatione DEi sanctissimi & justissimi.) E. tales futuros prævidit, & factis ac coagmentatis dignam mercedem constituit.

§. 20. Huc collineant AMBROSIUS de vocatione gentium Lib. I. cap. V. Ut calumniator à discutiendis DEi judiciis abstineret, opposita est ei bonitas miserantis & volentis potestas, quasi illi & ab Apostolo diceretur: ô homo, tu quis es, qui respondeas DEo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quare me fecisti sic, &c. AUGUSTINUS ad Simplicianum Lib. I. quest. II. Non odit DEus nec in quantum homines sunt, nec in quantum vasa sunt, id est, nec quod in eis facit creando, nec quod in eis facit ordinando, odit in eis impietatem, quam ipse non fecit. IDEM in Responsione ad Articulos sibi falso impositos: DEus animam turpiter nequiterq; victuram ad hoc, ut taliter viveret, non preparavit, sed talem futuram non ignoravit, & de tali se justè judicaturum esse præcivit. FULGENTIUS ad Monimum Lib. I. Notum est, iram DEi dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse. Vasis iræ DEus nunquam redderet interitum, si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum, quia nec DEus peccanti homini justè inferret iram, si homo ex prædestinatione DEi cecidisset in culpam. PROSPER in Respons.

E

ad

ad capitula Gallor. cap. VI. pag. 320. Prædestinationem DEi sive ad bonum, sive ad malum, in hominibus operari, ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quadam necessitas videatur impellere, cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda sit sine gratia. Hæc de vasis ira & misericordia hoc in Capite dicta sufficiant.

Vasa honoris & ignominia. §. 21. De Vasis honoris & inhonoris nunc videndum. Similitudine hæc binis in locis usus est Apostolus Rom. IX, 21. & 2. Tim. II, 20. ibi nudè & κατὰ πρῶτα tantum, uti §. 10. hujus Cap. monitum: hic verò & ἀπόδοσιν quadantenus subnexuit. Domum illam magnam, in qua vasa diversi generis, precii & usûs esse dicuntur, alii de mundo interpretantur universo; alii de Ecclesia & quidem militante. Posterius instituto Apostoli accommodatius, menti concinnius, imò & Scripturæ solennius. Ecclesiam enim nomine domûs seu ædificii venire & adumbrari memini, mundum verò seu rerum universitatem domum DEi nominari in præsentia non memini, 1. Tim. III, 3. Ephes. II, 21. 1. Petr. II, 5. Judæ vers. 20. Utut sit, de vasis agitur non faciendis & comparandis, sed de factis, comparatis, & in domum illatis. In ἀπόδοσι igitur velle hanc similitudinem hominibus accommodare nondum creatis, sed virtute divinæ prædestinationis in hunc vel illum finem creandis, ἀνώμοιον, fidei ἀντανάλογον, & contra scopum.

§. 22. Vasorum alia aliis pretiosiora & viliora: sic homo præstat homini pro donorum mensurâ majori vel minori, Rom. XII, 3. 1. Cor. XII. Matth. XXV, 13. Luc. XIX, 13. Vasorum usus dispar, honestior & splendidior horum, ignobilior & obscurior illorum; alia εἰς πῆν, alia εἰς ἀπμίαν. Quod vasa olim in templo, magnâ illâ DEi domo usibus variis sanctificata, id homines in Ecclesia usibus Domini dicati. Quò magis purgantur vasa, eò splendent pulchrius: homines quò à malis sive hominibus, sive actionibus separantur longius, eò majori sunt Ecclesiæ emolumento & ornamento. Vasa figlina ad sui emundationem nihil conferre possunt, sunt enim ἀλογα, ἀψυχα, ἀκίνητα: homines verò renati & συνεργοι Θεῶ effecti, 1. Cor. III, 8. possunt, unde dicitur: Si quis purgaverit se ab his, moribus scil. malis & hominibus, 2. Cor. VII, 1. Esa. LI, 11. Vasa usum præbent illis, qui ea possident & pro arbitrio adhibent: homines si divinæ gloriæ servire, si Ecclesiæ, si sibi prodesse debent, oportet ut Spiritus Sanctus eos certis muniis & partibus consecret & admoveat ob-

eun-

eundis. Et hoc cum quoad docentes, tum discentes in Ecclesia. Utrique enim sunt vasa εἰς τιμὴν, si fide puri, vitâ sancti, ad gloriam DEI sua omnia referunt, Matth. V, 16. 1. Cor. X, 31. Coloss. III, 17.

§. 23. Contrâ si qui cum Hymenæo & Phileto à veritate aberrant, vel indignè Evangelio & professione suâ vivunt, occasionem dantes, ut inter gentes blasphemetur nomen Domini, hi vasa sunt εἰς ἀτιμίαν, 2. Petr. II, 1. 2. Ac nisi se ab his expurgent, vasa fiunt iræ, & dissipationem seu excidium sibi attrahunt, tandem virgâ ferreâ conterendi, Psalm. II, 9. Non igitur de vasis honoris & dedecoris verba faciens Paulus, vel negotium involvit reprobationis & prædestinationis, vel ad salutem respicit & damnationem æternam; sed intra parietes militantis Ecclesiæ sese continens in campum æternitatis, quoad cœlestis gloriæ pondus & supplicii gehennalis immensitatem, neque effertur neque digreditur. Et quia hîc expurgationis & sanctificationis meminit Paulus, quâ mediante homines fiant vasa in decus, concludere hinc licet, ex vasis ignominia posse fieri vasa honoris, non minus atque ex servis peccati filiisque mortis possunt evadere servi justitiæ, organa salutis, domicilia Spiritûs Sancti, hæredes vitæ, Ephes. II, 1. 5. Rom. VI, 13. & seqq. 1. Petr. II, 10. IV, 2. 3. *Vas erat fictile Paulus, inquit CHRYSOSTOMUS, sed evasit in aureum; aureum fuit Judas, sed in fictile conversum.* Constat idem exemplô Protoplastorum, qui in statu innocentia vasa erant εἰς τιμὴν, à Diabolo autem seducti, vasa εἰς ἀτιμίαν facta sunt, & gratiæ restituti, quin iterum vasa honoris evaserint, nemo, credo, in ambiguo posuerit.

Vasa ignominia.

§. 24. Unde iterum absolutæ illius & Rhadamantææ sive horum ad mortem & ignominiam, sive illorum ad vitam prædestinationis ædificium, ab adversariis arenæ proprii cerebri superstructum, hiat, nutat, labat, corrui, quod sic probo: *Aut non loquitur Apostolus in similitudine controversa de prædestinatione: aut si loquitur, potest vas gloriæ fieri ex vase ignominia, stante nimirum sententiâ illâ, si quis se expurgaverit.* Utrumvis elegerint, non video, quomodò non constrikti hæreant, qui à nobis dissentiunt. *Si non loquitur de prædestinatione, falsò eò trahunt & torquent similitudinem ἀντιμαχοί. Si loquitur, potest vas unum fieri alterum, & sic longè aliter comparata est prædestinatio, quàm fingunt adversarii.*

§. 25. Ex hujus Capitis campo antequam discedam, libet di- De dilectione
stringere crustam adversariis, quam inducunt ex eo, quod scriptum: Jacobi & odio

E 2

Jacob

Esau.

Jacob dilexi, Esau odio habui, Rom. IX, 13. Hic enim putant, se pro absoluta electionis & abdicationis decreto reperisse, quod pueri in faba. Sic enim Zanchius *Lib. IV. de natura DEI cap. VII. quest. II. Electos dicitur dilexisse, quia his voluit aeternum bonum; reliquos dicitur odisse, quatenus eis voluit hoc bonum: sed quos neglexit, idque justissimo suo judicio, licet nobis occulto: sicut locum illum Rom. IX, 13. interpretantur docti viri. Idem sentit Paræus super Rom. pag. 816.*

§. 26. Resp. (α) peccant ψευδεργωνεία & σβελλότητι, quā Malachia & Paulo mentem affingunt falsam, pervertunt veram. Quod enim Jacob dicitur à DEO dilectus, Esavus odio habitus, non refertur vel à Propheta, vel ab Apostolo ad eos nondum natos, sed in lucem editos. Et quidem non tam ad utriusque personam, quàm, qui ex iisdem prodire, posteros. Id quod temporis, quò editum fuit, illud de dilectione unius, & odio alterius oraculum, evincit ratio & computatio. Etenim à natis istis gemellis ad Malachiam usque abiverant anni 1400. præter propter: quò igitur modo ager de nondum natis? (β) Verba saltem attendantur Prophetæ: *Dilexi vos, dixit Jehovah: & dixistis; in quo dilexisti nos? Nonne frater Esau ipsi Jacob (dixit Jehovah), & dilexi Jacob. Esau autem odio habuit, posuitque montes ejus solitudinem & hereditatem ejus draconibus deserti? Si dixerit Edom: pauperes effecti sumus, revertemur autem & aedificabimus desolata: Sic dicit Jehovah exercituum: ipsi aedificabunt & ego destruam: vocabuntque eos terminum impietatis, & populum, quem detestatus est Jehovah.* Hic ponitur (1) amoris divini objectum, qui sunt Judæi, è Babylone reduces, de quibus dicitur: *Dilexi vos.* (2) Instituitur collatio beneficiorum, quibus DEus gentem cum Judaicam, tum Edomiticam affectit; illam dignioribus, hanc minoribus. (3) Gentes nominibus conditorum suorum indignantur, habito ad fraternam originem respectu. (4) Fratris nomine alibi quoque invicem sibi commendantur, qui ab Jacobo & Esau orti. Num. XX, 14. Deut. II, 4. & 8. XXIII, 7. (5) Summa est verborum: *odio habui, posui, detestatus sum, συναφεία*, quæ Esavi non respiciunt individuum, sed posteros. (6) Quin & populi fit expressa mentio *vers. 5.* ne ad stirpes amoris odiique divini tessera referatur. (γ) Uti igitur Malachias gentem comparat cum gente ratione diversorum beneficiorum, quibus una præ altera fuit ex divino beneplacito affecta: Sic idem Prophetæ effectum Apostolus ad adumbrandam disparem gentium & Judæorum sortem transfert: quorum illæ in regno cœlorum cum Abrahamo, Isaa-

Isaaco & Jacobo discumbere; hi verò, nihil obstante, quòd filii sint regni, propter suam incredulitatem ejici occipiebant, Matth. VIII, 12. XXI, 43. (d) Præterea scopus utrique par & idem: *αελιασι- κως* & Propheta & Apostolus invehuntur in populum sui seculi, simili morbo laborantem, quo DEum & opera ejus ad examen vocabant humanæ rationis, arreptâ sibi ejusdem consiliis & factis tribunitiâ obrogandi potestate. Compescuntur igitur superbientium, *νόμο-καὶ ἐργοδιώκτων* linguæ procaces & in DEum ipsùm dicaces proposito Jacobitarum & Esavitarum exemplo dissimili, quorum illi citra parentis aut proprii meriti rationem ex divina gratia *πρωτοκλη- σια*, honorem adepti; hi posthabiti; illis terra, lacte & melle abundans, promissa & tandem tradita; his montosâ Seiris loca, quæ olim Horæis sedes præbuerant, concessa & occupata, Gen. XXXVI, 6. 7. 8. Deut. II, 5. 16. 22. Jos. XXIV, 4. Illi Ecclesiæ & Reipublicæ Israëliticæ fuere cives; hi hospites: illi pactorum promissionis hæredes; hi extranei, à societate tamen non exclusi: illi è captivitate Babylonica in patriam reducti; hi relictî, Ezech. XXXV. (e) Comparatè igitur quod proponunt vates & legatus, id citra *λόγον συγκρί- σεως* simpliciter & absolutè accipiunt & arripiunt *αίλιπαλοι*, nobisq; obvertunt. Melius Oecolampadius *super Malachiam*, cujus hæc verba: *Non solum diligo vos, sed singulari amore diligo, & plus quàm Esau & alias gentes: quem locum feliciter explicat Paulus, arguens gloriantes in operibus legis, per quæ justificari nemo potest.* Hæc ille. (ζ) Non loquitur Propheta de dilectione odioque seu inæquali beneficiorum dispensatione, quæ æternam spectet salutem, sed quæ temporalem. Salus quidem propior fuit unis, quàm alteris (Rom. XIII, 12.), sed simpliciter & illimitatè neutris vel destinata, vel denegata. Nunquam enim Calviniani, si vel æonas æonum ex Orco revocarent, probabunt, vel Esavum vel posteros ejus ex nudo, simplici, absolutoque odio fuisse à salute & mediis salutis ab æterno rejectos & seclusos, vel, ut loquitur Polanus, (*de æterna DEi predestinatione pag. 185.*) odii nomine reprobationem significari. (η) Perfrequenter τὸ odisse, in sensu *συγκριτικῶ* acceptum, aliter non vult exponi, quàm pro eo, quod est postponere & minoris facere seu dignari, Matth. VI, 24. Luc. XIV, 26. Esa. LX, 14. Consentit hîc Polanus *pag. dicta.* (θ) Denique *ἀπὸ πον καὶ ἀθεόλογον* est, statuere Esavum vel citra illam, quam dixi, comparisonem, vel simpliciter extra peccati considera-



tionem fuisse DEO exosum, atque ex odio, cui erat destinatus, ad cruciatus æternum subeundos, reprobatum.

§. 27. Perpendantur sequentia: *Id solum DEus habet odio, quod sibi displicet, quodq; idem averfatur. Extra peccatum nihil idem averfatur, nihil displicet. E. extra peccatum nihil odio habet. Aut odit DEus, quod ab ipso est, aut quod ab ipso non est. Non illud. Ergò hoc. Si enim odit, quod ab ipso, tum secum ipse pugnat. Absurdum hoc. E. & illud. Quod ab ipso, id eidem conforme & εὐάρεστον. Quod μισητόν, non est εὐάρεστον. E. μισητόν non est à DEO. Si DEus odit Esavum ceu reprobum, antequam crearetur, tum odium habuit rationem causæ in eo creando. Atqui odium non habet rationem causæ vel Esavi, vel ullius rei creanda. E. DEus Esavum non odit ceu reprobum, antequam crearetur.*

§. 28. Odium non habet rationem principii constituentis seu efficientis, sed exscindentis, abolentis, destruentis; non autem exscinditur & destruitur, nisi quod antea factum. *Ex odio & ira DEi non est hominum ortus, sed impiorum interitus, Sap. XI, 24. Neque vel odisse vel amare dicitur DEus, nisi id, quod vel est, vel præsupponitur esse; cui enim vel bonum vult, vel malum, ei vult quatenus est, vel futurum est, non verò quatenus non est, neque futurum est. Cui vult DEus malum, illum vult non esse (quia esse est bonum). Esavo voluit malum nondum nato. E. voluit eum non esse. Atqui voluit eum esse. E. non voluit ei malum. Vel voluit ei bonum naturale, ut ne deesset, scilicet! cui negaret bonum supernaturale, spirituale, æternum. Leve & breve bonum voluit reprobis, ut posset eis velle grave & æternum malum, scilicet! Nec ullum illorum creasset, nisi ad æternam mortem prædestinasset, scilicet! Preconstituit homini malum, antequam constituit ei bonum, scilicet! Ex reproborum damno DEus sua gloriæ aucupari voluit emolumentum & incrementum, scilicet! Reprobis ubi ad hanc vitam creatur, in mortis æternæ limine collocatur: hujus vitæ donatio est in reprobis æternæ mortis causatio, seu in damnationem præcipitatio, scilicet! Hæcne DEi χρηστότης καὶ Φιλανθρωπία, τότις in sacris literis decantata? Tit. III, 4. Deut. XXXIII, 3. Joh. III, 16. A potiori fit denominatio: quæro igitur, cum DEus maximam generis humani partem destinarit & creavit ad æternæ mortis malum, utrum mereatur potius Bonus, quàm Malus dici?*

§. 29. Sed manus tandem de tabula: *Quo animo DEus primum hominem condidit, eodem & reliquos. Condidit primum animo optimo, non pessimo, nec irâ percito & odio suffuso. E. etiam reliquos: præsertim cum*

cùm in uno creatos velint omnes adversarii. Nos creationem hominis bonitati DEi & amorì acceptam referimus, non odio, pro beneficio habemus, non pro maleficio; quod posterius statuunt necessum est adversarii, si homines ad interitum creatos volunt. Cujus DEus osor est & ultor, ejus autor & creator non est. Omnium impiorum, ut impiorum, DEus osor est & ultor. E. autor & creator non est. Rectè Augustinus Lib. I. ad Simplician. quest. II. DEus non odit Esau hominem, sed Esau peccatorem.

CAPUT VII.

De Causa Efficiente vasorum.

§. 1. Ventum est ad causam vasorum efficientem. Ea cùm in duplici sint differentia, quæstionis est; Utrum vasa iræ & contumeliæ eundem habeant cum vasis misericordiæ & honoris opificem? Quin alterius generis, puta misericordiæ & honoris DEum habeant authorem, neque dubium est, neque controversum. Σοφῶς καὶ σαφῶς asseruit hoc Paulus Rom. IX, 23. ἃ πρὸς τοῖς αὐτοῖς εἰς δόξαν. Homines enim ut homines non nisi à DEO. vid. suprâ Cap. III. §. 6. n. 3. Vasa quoque, in quantum vasa, ab eodem. vid. Cap. VI. §. 19. Neque solùm substantiæ & ortûs ratione; sed etiam qualitatum & usûs, quatenus misericordiæ organa & subjecta, honoris documenta & monumenta. Quicquid enim illis vel ex natura vel ex gratia adest boni, id non aliunde, quàm à boni scaturigine, quæ DEus. confer. §. 19. Cap. VI.

§. 2. De vasis iræ & ἀντιπᾶς controvertitur, quem isthæc habeant architectum. Adversarii DEum faciunt fabricatorem, uti recollere est ex ipsorum verbis Cap. IV. & Cap. V. §. 20. Quibus addimus & Polanum pag. 337. Vasa iræ appellantur, quia DEus illa facit, ut in eis iræ suæ exemplum ostenderet, ad declarationem potentie suæ. Accipiunt igitur adversarii vasa iræ, vel quatenus objectorum notionem fortiuntur, quibus DEus irascitur, vel quatenus organa, quibus DEus utitur adversum alios iræ suæ obnoxios. vid. §. 15. Cap. VI. Si activè seu pro organo justitiæ & vindictæ accipias vasa iræ, damus esse à DEO suprâ Cap. VI. §. 15. Si verò passivè pro objecto, negamus ea habere. DEus non est DEum effectorem, moti Scripturarum magisterio, & rationum autor vasorum iræ. cum illis conspirantium pondere. Qui enim sanctè sobrièq; de vasis iræ & misericordiæ differunt & sentiunt, hi linguam ad normam & ὑπόγερμον Spiritûs Sancti conformant. Adversarii non conformant linguam ad normam & ὑπόγερμον Spiritûs Sancti. Ergò de vasis iræ nec sobriè nec san-

sanctè differunt & sentiunt. Nam Paulus de vasis misericordiæ dicit, quòd DEus ea præparaverit; de vasis iræ idem asserere studiosè sibi temperavit. Neque Scriptura usquam locorum vasa iræ ad DEum refert autorem. Verecundamur igitur meritò ὑπὲρ τὰ ἔσκαμμένα πηδᾶν.

1. §. 3. Nunc ad rationes progredimur. 1. Quæcunque DEus creat aut efficit, ea bona sunt. Vasa iræ non sunt bona. Ergò vasa iræ non creat, non efficit. Quæcunque sunt bona, sunt DEo congrua, grata, & accepta. Vasa iræ non sunt DEO congrua, grata & accepta. Ergò neque bona. 2. Quicquid DEO contrarium & exosum, illud à DEO non est. Vasa iræ sunt DEO contraria & exosa. confer. cap. VI. §. 26. (b). Ergò. 3. Quæcunque DEus ipse facit, illis non potest non delectari, Genes. I. vers. ult. Omnis artifex delectatur suis operibus, ad arbitrium factis, parens liberis ad votum datis. DEus vasis iræ non delectatur. Non igitur illis parens, non artifex, non effector. 4. A quo sunt impii, ab eodem & vasa iræ: quia hæc æquipollent. Nullus impius qua impius à DEo. Vasa iræ sunt omnes impii. E. nulla vasa iræ sunt à DEo. 5. Quæcunque DEus tolerat magnâ patientia, illorum autor non est: Cap. V. §. 22. Vasa iræ DEus tolerat. Ergò autor non est. 6. Quicquid in DEi cedit contumeliam, illud DEus neque vult, neque efficit. Vasa iræ cedunt in DEi contumeliam. E. DEus ea neque vult, neque efficit. 7. Ille vasorum iræ author, à quo ad interitum coagmentantur, componuntur, parantur, coaptantur, coadunantur. A DEo ad interitum non coagmentantur, &c. E. DEus non est illorum author. Quicunque materiem & occasionem peccandi suppeditat, consilio instigat, operam locat, manum adinorvet, viam parat, media subministrat, ille coagmentat ad interitum. Diabolus, caro, mundus materiem & occasionem peccandi suppeditant, &c. E. Diabolus, caro, mundus coagmentant ad interitum, & per consequens non DEus. 8. Quicquid deficit à bono & in bono, illud à bono non efficitur, nec proficiscitur. Omnia vasa iræ deficiunt à bono & in bono. E. nulla vasa iræ efficiuntur & proficiscuntur à bono. 9. Quod est opus diaboli, adminiculantibus mundo & carne, id DEo non est ascribendum. Evadere vas iræ & coagmentari ad interitum est opus diaboli. E. DEo non est ascribendum. 10. A quo filii Belial, ab eodem & vasa iræ. Illi à diabolo. E. & hæc. 11. Qui vasis iræ & impiis metas ponit, furorem eorum coercet, & quæ tandem, consummatis peccatis, pessundat & evertit, ille non est eorum autor. DEus vasis iræ metas ponit, furorem coercet, tandem pessundat. E. eorundem autor non est. Quid? si etiam Diabolum dicerem vas iræ,

iræ,

iræ, coagmentatum ad interitum? secundum illud 2. Petr. II, 4. DEUS Angelis, qui peccaverant, non perpercit, sed catenis caliginis in tartarum detrusos tradidit ad damnationem servatos: Epist. Judæ vers. 6. Adversarii certè Satanam DEI instrumentum nominare haud morantur. Unde sic infero: 12. A quo primum & teterrimum vas iræ prodiit, ab eodem & reliqua hujus nota vasa. Primum vas iræ & contumelia prodiit non à DEO. E. neque reliqua hujus nota vasa. 13. Ille vasa iræ format, qui Diabolum ad interitum coagmentat. DEUS Diabolum non coagmentavit ad interitum. E. iræ vasa non format. Quod Angeli, μὴ τηρήσαντες τὴν ἐαυτῶν ἀρχὴν, in vasa iræ & Spiritus tenebrarum degenerarunt, propria fuit defectio, non divina effectio. Non multò diversa Protoplastorum ratio, qui cùm essent DEO argentum, versi sunt in scoriam, ex vasis honoris transeuntes in vasa ignominia, non DEO autore, sed Diabolo persuasore, non DEO formatore, sed Diabolo deformatore. Ut se habet scoria argenti ad aurificem, febris in corpore humano ad Medicum, vomica ad Chirurgum, herba noxia ad hortulanum: ita vasa iræ in humano genere ad DEUM opificem. Illi in his omnibus non faciendis, sed tollendis occupantur. E. & DEUS.

12.

13.

§. 4. PARÆUS præsentiscens argumentorum nostrorum, Paræi error, ictus, clypeum obvertit distinctionis, & vasa iræ, ait, secundum naturam coagmentata, hoc est, creata sunt & condita, non ab alio, nisi à DEO: secundum pravitatem, qua proprie sunt vasa iræ, hoc est, organa rea iræ, in quibus iram suam DEUS ostendat, coagmentata utique rectè dicuntur à seipsis & à Satana per spontaneum lapsum & peccata subsequenta, quibus se reddiderunt vasa, iræ DEI obnoxia. In quibus verbis non desunt, quæ obelisco notanda. (1) Vasis iræ tribuit naturam ex creatione DEI, cùm tamen ex creatione habeant tantùm, quòd vasa sunt, respectu scilicet essentia seu materiei, non autem quòd vasa iræ. (2) Confundit coagmentationem cum creatione, quæ diversissima: A creatione enim habent homines quod fiunt, non autem quod pereunt: DEUS creando coagmentat & coadunat animam & corpus ut sint, non ut intereant: à coagmentatione habent ut intereant, creatio est τῆ μὴ ὄντος Rom. IV, 17. coagmentatio est τῆ ὄντος: DEO competit creatio, homini & diabolo ad interitum coagmentatio. vide §. 3. n. 7. hujus Cap. (3) Exponit vasa per organa iræ, in quibus iram DEUS ostendat, quod à mente alienum Apostoli, qui pro objectis iræ accipit, §. 2. Cap. hujus. (4) Organa quæ organa non sunt rea iræ: quicquid enim divina subservit justitiæ, illud non est reum iræ. Vasa iræ serviunt. E. non sunt rea iræ.

F

(5) Quod

(5) Quod à peccato pendet, id nefarium est ascribere creationi. Fieri vas obnoxium iræ & coagmentari ad interitum, pendet à peccato. E. nefarium est hoc ascribere creationi. (6) Transfigere quomodo Polani. velit cum Polano, viderit ipse. Sic autem iste: *Blasphemia est dicere, vasa ira à diabolo esse coagmentata ad interitum: Sic enim opus discretionis generis humani & justissimi iudicii, quod DEI proprium est, adscribitur diabolo. pag. 136.*

§. 5. Fastigium huic Capiti BASILIUS imponat, qui inquit in *Conc. quod DEus non sit auctor peccati: Vas ira est, qui omnem in se diaboli operationem quasi vas quoddam suscipit, & propter scetorem, quem habet ex corruptione, ad nullum usum aptari potest, sed dignus qui pereat. Nec mendaci lyra sonat Lyra supra cap. XVIII. Jer. vers. 6. Lutum non habet, unde se subtrahere possit à figuli ordinatione, sed homo habet liberum arbitrium, per quod potest declinare à divina lege per peccatum. Veruntamen hoc modo exiens DEI ordinationem ex parte una, reincidit in eam ex altera parte, scilicet in ordinem divinæ justitiæ, punientis dedecus culpæ.*

CAPUT VIII.

De Vasorum Fine & Usu, ubi etiam de gloria & contumelia.

§. 1. Hic verò ad causæ acropolin perventum, pelle lepori ad caput usque detractâ, ut Germanorum habet adagium. Ut igitur pugnâ semel defuncti victoriam reportemus, ante omnia Calvini, & quos in suo ducit exercitu militum animus probè explorandus, ac sententia in aprium producenda.

§. 2. Ea paucis hypothesebus inclusa sic habet: (1) DEum, antequam hominem conderet, de fine ejus certi aliquid proposuisse & constituisse, vide *Colloquium Mompelgard.* (2) Hunc fuisse gloriæ suæ manifestationem, exercitationem, declarationem. Sic Beza: *Idem ille DEus ab æterno proposuit & decrevit in semetipso, omnia suis temporibus ad gloriam suam creare, ac nominatim quidem homines: cap. 17. Apher. 11. in Explicat. Christian.* (3) Placuisse porrò DEO, manifestatio gloriæ ut fieret modis seu viis duabus, planè diversis, quarum una sit misericordiæ, altera justitiæ. *Ibid. & contra Castell. fol. 360. 361.* (4) Misericordiæ quidem in Electis & salvandis, justitiæ contra in reprobis & damnandis. *Neque enim vel Electorum salus vel reproborum exitium, ultimus est consiliorum DEI finis: sed ipsius gloriæ tum in illis per mi-*
seri-

sericordiam salvandis, tum in his justo iudicio condemnandis illustratio. Idem cap. III. Aphor. V. (5) De utrisque istis decretum esse factum, ex omni, suâ parte absolutum & immutabile. Restat ut DEo volente omnia fieri dicamus, ac proinde ut quicquid accidisse viderimus, non sine DEi decreto, eoque justo, eterno, atque immutabili dicamus accidisse. Quod si quis hic clamet, nos Stoicam necessitatem invehere, fateor quidem cum Augustino, aut cum ipsa potius veritate, DEi voluntatem esse rerum necessitatem, sed Stoicam hanc esse nego. Beza contra Castell. fol. 351. (6) Huic de electis non minus quàm reprobis, jam statuto & æri quasi inciso decreto de mediis agi coeptum, quibus DEus consiliorum suorum fines assequeretur, & decretum suum in actum deduceret, & executioni mandaret. Cum finem DEus ordinarit, necesse quoque est, ut causas, ad eum finem ferentes, constituerit. Beza Aphorif. V. cap. III. fol. 179. (7) Creatum igitur esse hominem purum quidem, & peccati nescium, sed labilem & mutabilem, ac naufragio expositum. Oportuit Adamum condi sanctum, & innocentem, sed qui suâ sponte & sine ulla DEi culpa vitiosus factus viam patefaceret aternis DEi consiliis, id est, tum misericordie, tum severitati ipsius declaranda. Beza contra Castell. fol. 391. (8) Subsecutum ergo & lapsum Adami, totum genus humanum reatu constringentem, eumque DEo non solum præsciente & decernente, sed etiam providentiâ suâ ordinante, Satanaq; consilio DEi subserviente; quæ Calvinus sunt & Bezæ verba Institut. Christian. Lib. III. cap. XXIII. Sect. VIII. Contra Castell. fol. 358. 361. 362. Fateor serpentem Adamum & Evam non potuisse resistere DEi voluntati, id est, decreto, & sicut non potuerunt, ita & noluisse, nec aliter velle potuisse, quo ad eventum. (9) Rebus ita compositis, & foribus misericordie justitiæque exercendæ patefactis, prospectum de redemptionis precio, reconciliationis verbo, ac justificationis medio illis, quos DEo misericordiâ suâ dignari & salvare placuerit. Vide Bezam cap. III. in Explicat. Christian. (10) Ab his autem salutis recuperandæ mediis ex liberrima DEi voluntate rejectos abdicatosque fuisse omnes reprobos, quos ceu metam & scopum exercendæ justitiæ sibi constituerit, & quorum nomina fatalibus damnandorum tabulis ex immoto decreto inseruerit. (11) Unde eosdem vel in statu peccati & damnationis, qua per lapsum Adami impliciti hærent, vel relinqui, & nunquam vocari, vel ad aggravandum iudicium sine efficacia Spiritûs S. & absque juvandi, illuminandi, servandi, atque salvandi proposito vocari, sed tandem circa finem naufragos

gos in locum suum abire, ut DEus justo ipsorum interitu glorificetur. Beza cap. V. Explicat. Christian. & contra Castell. fol. 417. Quod subicis, DEum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse, quoscunque libuit, verum quidem esse agnosimus cum Paulo, qui vasa commemorat ad interitum compacta; sed eum quidem justum, quoniam justas ad exitium ferentes causas eodem decreto subordinavit. Calvinus Institut. Lib. III. cap. XXIV. Distinct. XIII. Ecce vocem DEus ad Judæos dirigit, sed, ut magis obsurdescant, lucem accendit, sed, ut reddantur cæciores, doctrinam profert, sed qua magis obsurdescant, remedium adhibet, sed ne sanentur. Piscator contra Schaffman. Sect. XXVII. contra Bertium pag. 9. & 23. Porro sicut permisit DEus, ut primi parentes, & naturales ipsorum heredes in illis laberentur omnes, atque ita reatum sibi contraberent: ita etiam permittere illud decrevit, ac volens permisit, ac proinde tales condidit, ut labi possent: imò hoc consilio condidit, ut reipsa laberentur, quippe cum non nisi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos principales, videlicet patefactionem misericordie in salute aliquorum, & patefactionem iræ in interitu reliquorum. Neque enim poterat misereri, nisi miserorum; neque justè damnare, nisi peccatores.

Generalis responsio ad hypothesen. §. 3. Hypotheses istæ sunt, quibus tota sententiæ Calvinianæ moles innixa recumbit. Quibus subruendis primùm generalium responsionum arietes & catapultas admovebimus, propius deinde accessuri, & pressius cum adversariis acturi. Citra verbi divini lucernam nefas est *θεολογείν*. Pleræque propositarum hypotheson, imprimis verò illa, quæ cæterarum basis, de manifestanda ex æterno decreto gloriâ DEi, summè misericordis & summè severi (ut habent Beza verba) carent verbi luce & duce. Quæ ab hyperaspistis, quos inter Beza facilè princeps, pro illarum fulcris adferuntur & congeruntur è Scripturis probationes, eæ ita comparatæ sunt, ut scopum prætervolent, neque hypotheses suffulciant. Pessimè verò in Theologia philosophantur, qui suis, quas aliunde haustas circumferunt *ἐπιβολάς*, indulgentes, sensus sacris oraculis inferunt & important, quos inde referre & exportare debebant. Nos illud arcanum DEi de manifestanda misericordie & justitiæ gloria, non ab effectis colligi, neque ex humanæ rationis lacunis derivari, sed ex verbo DEi evidenter erui, ex locis propriis & genuinis constanter asserti monstrarique, postulamus. Metaphoricæ de figulo & vasis locutiones rei serviunt illustrandæ, non demonstrandæ: *Symbolica Theologia*

non

non est argumentativa. vid. suprâ §. 8. Cap. VI. In rerum eventibus ac præsertim in salutis atque damnationis negotio transilire causas proximas, ac neglectis intermediis ad causam transvolare supremam & universalem, temerarium & periculosum. Rom. X, 7. 8. Viæ & cogitationes DEi sublimiores sunt, quàm ut acie humani ingenii sine prævio verbi lumine apprehendantur. Esa. LV, 8. Sap. IX, 14. seqq. Christus, Angelus ille magni consilii, omnia revelavit, quæ audivit à Patre, Joh. XV, 15. Paulus annunciavit omne consilium DEi, Act. XX, 17. Prophetæ & Apostoli manifestarunt mysterium DEi à seculis absconditum, Rom. XVI, 25. Eph. III, 9. Coloss. I, 26. Sed consilium & mysterium prædestinationis Calvinianæ, contra quam disputamus, nemo illorum scivit, nemo reservavit. Si quæ ergò revelata non sunt, illa nos decet mirari non rimari, venerari non scrutari, adorare non indagare. De DEo extra & ante tempus multa disputare, insania est, quia id est velle comprehendere nudam divinitatem: Hoc quia impossibile est, ideo DEus se involvit in opera & certas species, sicut hodie se involvit in baptismum & in absolutionem, &c. Ab his si discedas, tunc abis extra mensuram, locum, tempus, & in mirissimum nihil, de quo secundum Philosophum non potest esse scientia. Luther. in Genes. fol. m. 2. b. Idem in cap. XXVI. Genes. fol. m. 353. b. In libello de servo arbitrio & alibi docui, esse distinguendum, quando agitur de notitia, vel potius de subjecto divinitatis. Aut enim disputandum est de DEo abscondito, aut de DEo revelato. De DEo, quatenus non est revelatus, nulla est fides, nulla scientia, cognitio nulla. Atque ibi tenendum est, quod dicitur: quæ supra nos, nihil ad nos. Ejusmodi enim cogitationes, quæ supra aut extra revelationem DEi sublimius aliquid rimantur, prorsus diabolicæ sunt, quibus nihil amplius proficitur, quàm ut nos ipsos in exitium precipitemus, quia obijciunt objectum impervestigabile, videlicet DEum non revelatum. Quin potius retineat DEus sua decreta & mysteria in abscondito. Non est, cur ea manifestari nobis tantoperè laboremus. Hæc generalia fuere, quibus in adversarios pugnavimus eminus; in posterum aggrediemur rem cominus, ubi prius de Gloria & contumelia paucis differentes, aditum nobis aperuerimus, & simul antagonistas præstruxerimus.

De Gloria &
contumelia.

§. 4. Latissimè patet vox gloriæ, & de DEo non minus quàm hominibus, de æternis & temporalibus usurpatur: idque vel absolutè, vel relatè. Relucet quippe gloria creatoris ex omnibus ejus operibus. Nam & cali enarrant gloriam DEi, Psal. XIX, 2. & gloria Domini

plena

plena est terra, Esa. VI, 3. Accipitur gloria *de luce inaccessa*, quam DE-
 us inhabitat, seu pro ipso DEO, 1. Tim. VI, 16. Psal. CIV, 1. Exod.
 XXXIII, 18. Act. VII, 2. Joh. XVII, 24. Accipitur deinde etiam
de illa, qua ex invisibili aeterna majestatis throno prodiit, seseque cogno-
 scendum, & ut Paulus innuit, palpandum & inveniendum exhibuit,
 Act. XVII, 27. Unde *quicquid de DEO auguste, digne, excellenter videri,
 dici, cogitariq; potest, Gloria nomine venit*. Et hinc factum, ut cultus
 adorationis & gratiarum actionis ad gloriam DEI referatur. Psal.
 CXV, 1. Luc. II, 13. Esa. XLII, 8. Rom. I, 21. Accipitur gloria
 quoque *de statu beatorum caelesti*, & supra id, quam dici potest & cogi-
 tari felicissimo, in quo nunc vivunt Angeli, & ad quem perventuri
 sunt olim salvandi. Esa. LXIV, 4. 1. Cor. II, 9. Rom. VIII, 18.
 2. Cor. IV, 17. Philosophis honor & gloria in bonis sunt, quæ ad
 aliud referuntur. Quibus contraria cum sint contumelia & ignomi-
 nia, quin contrariam habeant rationem, nemo ambegerit. Pro di-
 verso seu etiam contrario de rebus judicio existit honor & igno-
 minia. Quod magni facimus, id contumelia non afficimus. Quod
 nullius apud nos precii, illi honorem non deferimus. Quanti res
 æstimatur hominibus, tanta ei tribuitur vel τιμή, vel ἀτιμία. Glo-
 riam definit Ambrosius, *claram cum laude notitiam: super Epist. ad Rom.*
 Augustinus, *frequentem de aliquo cum laude famam: de Definit.* Aristo-
 teles, honor est τῆς ἀρετῆς ἀθλον, Lib. IV. Ethic. cap. VII. Ignominia
 igitur fuerit vitii precium & improbitatis debitum. Dicitur volunt
 contumeliam à contemnendo, eò quòd semper cum contemptu
 conjuncta. Unde Philosophus eam ὀλιγωρία subjicit, & definit
 ἐνέργειαν δόξης περὶ τὸ μηδενὸς ἀξιὸν φαινόμενον: 2. Rhetor. actio-
 nem, quæ versatur in opinione circa illud, quod nullius precii ap-
 paret. Species ejus constituit κατὰ φρόνησιν despicientiam, ἐπηγεα-
 σμὸν incommodationem, & ὕβριν injuriam. Ad quem refertur gloria, ad
 eundem (suo modo) & contumelia. Utrâque affici dicitur DEUS,
 dicuntur & homines. Nec sunt nisi in mutuo agentibus & patien-
 tibus. Uti damnum & commodum ab agente proficiscitur in pa-
 tiens: sic se habet gloria, decus, ignominia. Activè ergò accipiun-
 tur & passivè: Est qui gloriâ coronat, est qui coronatur; est qui
 contumeliam infert, est qui perfert: Christus gloria Ecclesiæ, Ec-
 clesia gloria Christi. Ursin. in cap. XI. Esa. 1. Cor. XI, 7. 2. Cor. I, 14.
 Ephes. III, 13, Ac veluti gloria non solum hujus est seculi, sed etiam
 secu-

secuturi: sic etiam contumelia vel temporanea est, vel æterna, quæ statum damnandorum infelicissimum complectitur.

§. 5. His ita fixis & præfixis, ad pugnam cum adversariis re-
gredimur, & eorum aciem de declaranda misericordiæ justitiæque
divinæ gloria in salvandis & damnandis ex æternæ Electionis & re-
probationis consilio ita aggredimur: *Omnia sententia, quæ divinam
gloriam imminuit, & in angustias redigit, proprietatum divinarum laudem
obfuset & obscurat, misericordiæ & justitiæ detrahit, & ab ipsis Pauli ver-
bis, ex quibus probari debet, aliena est, illa suis relinquitur merito auctoribus.*
Talis verò est hæc Calvinianorum quorundam, contra quam pugnamus, sen-
tentia. Ergò suis merito auctoribus relinquitur. Gloriæ quippe divinæ
ratio non consistit in eo omnis & tota, ut conspicua fiat & manife-
sta duntaxat DEi misericordia & justitia, sed plura sunt, e quibus
eadem elucescit: veluti bonitas, omnipotentia, sapientia, omni-
præsentia, longanimitas, benignitas, tolerantia, lenitas, sanctitas,
fortitudo, *πανδυναμία, ἀντιεξουσία*, liberalitas, æternitas, immensi-
tas, Exod. XXXIV, 6. Psal. CXLVIII, 8. CXXXIX, 7. 8. 9. Ex his,
qui nihil laudis ad DEum redire sentit, ille nihil sentit. Itaque glo-
ria divinæ justitiæ & misericordiæ & libertatis ita est astruenda, ne
planè nulla reliquarum proprietatum habeatur ratio. Ut enim ju-
stitia & libertas seu liberrima facultas in DEo non est bonitati, sa-
pientiæ, potentiæ, *χρηστότητι, ἀνοχῆ καὶ μακροθυμίᾳ*, Rom. II, 4.
contraria, sic neque ab iisdem dirimenda. Unde igitur fidem nobis
facient adversarii, quòd DEus in consilio prædestinationis justitiam
solùm & misericordiam pensi habuerit, posthabitis reliquis omni-
bus, quæ ipsi non minus atque ista curæ sunt & propria? An verò
visa DEo foecundior ex misericordiæ & justitiæ agro, quàm ex reli-
quarum proprietatum campo, gloriæ seges posse crescere? *An DEus
querit gloriam propter se, an propter nos?* Thom. quest. CXXXII. Art. 1. se-
cunda secundæ. An non cancellis humani ingenii circumscribuntur
DEi omnipotentia, omnisufficiencia, & omnissapientia, cùm volunt
Piscator & alii: *Simpliciter DEo impossibile fuisse, ut ad suos patefacien-
da misericordiæ & justitiæ pervenire potuerit fines, nisi per lapsum Adami &
humani generis miseriam: contra Tertium pag. 13. & sæpè aliàs.* Quasi
non constitissent DEo *παντοδυνάτω καὶ πανσόφω* utriusque ape-
riendæ rationes aliæ, homine neque creato, neque lapso: præfer-
tim in Angelis cùm bonis, tùm malis: In illis, quos à lapso tutos præ-
stitit

De declaran-
da misericor-
diæ & justitiæ

stitit benignè; in his, quos meritis poenis reservat justè. Confirmat idem Siracides cap. XV, 12. Μὴ εἶπης, αὐτὸς με ἐπλασεν, ipse me fecit (talem), ἔγὼ γὰρ χρεῖαν ἔχει ἀνδρὸς ἀμαρτωλῶ.

§. 6. Nec est, quòd hìc excipiat Piscator: Librum istum non esse in Canone (pag. 46. contra Bertium); cùm & verum esse possit, quòd in Apocryphis extet, modò Canonicis non adversetur. Ideoque tamdiu hæc Siracidæ γνώμη à nobis probatur, donec à Piscatore ex Canonicis contrarium proferatur. DEus ἔπερσδεόμενός τινος, Act. XVII, 25. Audiant verò & Augustinum adversarii, his eos verbis compellantem, de Cognit. verae vitæ cap. X. Quis demens homo presumat dicere, misericordiam & justitiam DEi nisi per miseros & damnandos manifestari non potuisse? Ac ne litem nobis de auctore hujus Libri moveant, audiant iterum super Psal. CXXV. circa finem ita scribentem: Melius est, ut nullus sit miser, quàm ut tu facias misericordiam: qui enim, ut faciat misericordiam, optat esse miseros, crudelem habet misericordiam, quomodò, si medicus, ut exerceret artem suam, optaret multos esse agrotos, crudelis Medicina foret. Idem Lib. III. Confess. cap. 11. Si malevola est benevolentia, quod fieri non potest; potest & ille, qui veraciter sinceriterq; miseretur, cupere esse miseros, ut miseratur. Fulgentius Lib. 1. de Prædestinat. ad Monim. pag. 46. & 47. Ut ex malis fiant homines boni, & ex impiis justi, laudanda est DEi misericordia; ut autem ex bonis fiant homines mali, aut ex justis iniqui, si divina prædestinationis asseritur causa, erit (quod absit) vituperanda justitia. Quinimò nec justitia justa dicitur, si puniendum reum non invenire, sed fecisse dicatur. Major verò erit injustitia, si lapsò DEus retribuit poenam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.

§. 7. Sed demus adversariis, quòd consilia divina finem habeant gloriam, misericordiã erga Electos, justitiã erga reprobos patefaciendam, quæstionis interim est, utrum declarationem hanc suam justitiæ & misericordiæ statuam vitæ hujus brevitate terminandam & abrumpendam: an secuturæ æternitate continuandam & perpetuandam? Prius si ratum habent, conficitur hinc, ipsorum prædestinationem non procedere ab æterno in æternum, neque ab illa pendere utrosque, tum qui salvantur, tum qui damnantur: neque Electio facta dici posset ad salutem æternam, neque reprobatio ad mortem æternam, neque effugerent hominum notitiam cùm electi, tum reprobi: & careret prædestinatio sine suo in altera vita: Quæ omnia, ipsis etiam adversariis, sunt paradoxa. Si autem posterius sibi defendendum sumant, viderint iterum, quomodò gloriam
misc-

misericiordiæ divinæ in Electis nobis conspiciendam dare velint. Nam ubi homines sunt summè beati & perfectè justî, ibi & in iis declaranda misericordiæ locus superest nullus. In altera vita electi homines erunt summè beati, & perfectè justî. Ergò in altera vita in Electis declaranda misericordiæ locus supererit nullus. In illis splendescit misericordia seu materies suppetit declarande gratiæ, quibus peccata remittuntur, & justitia Christi imputatur. Rom. III, 24. Philip. III, 7. Eph. II, 4. Electis in altera vita peccata non remittuntur, neque justitia Christi imputabitur: erunt enim justî consummative. Ergò in illis materies declarande misericordiæ nulla. Qui reportabunt pietatis præmia, in illis rectè dicitur justitia declarari, secundum illud: Reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi & omnibus diligentibus adventum ejus justus judex, 2. Tim. IV, 8. Rom. II, 6 -- 10. 2. Thess. I, 6. 7. 8. Esa. LXII, 21. 2. Cor. V, 10. Electi & sancti reportabunt suæ pietatis præmia, Matth. V, 12. Ergò sancti erunt exercenda justitiæ theatrum, & non tantùm reprobî, ut volunt adversarii.

Contra de-
clarandam
misericiordi-
am.

§. 8. Addo & hoc: Ibi campus est justitiæ, ex asse ostendenda, ubi & præmia redduntur justis, & pœna irrogantur impiis. In inferno & inter damnandos non erogabuntur præmia, sed tantùm irrogabuntur pœna. Ergò in inferno & inter damnatos ostendenda ex asse justitiæ non erit campus. Quæcunq; DEus ipse procurat, ad quæ alium instigat, excitat, impellit, movet, regit, & quod maximum est, creat, cujus manum telumq; ad patranda eadem dirigit, illa justè punire nequit: neque sanctè in his justitiæ suam declarare potest. Reproborum peccata DEus ipse procurat, ad eadem instigat, impellit, excitat, movet, regit, creat, &c. Ergò justè illa peccata punire & in reprobis suam declarare justitiæ nequit. Majorem probo: Nullam rem DEus procurat, quâ justissima ipsius sanctitas & sanctissima justitiæ leditur: sic enim secum ipse pugnaret. Peccatis in universum omnibus & singulis divina leditur justitiæ & sanctitas. Ergò nullum peccatum DEus procurat. Qui caco offendiculum ponit, erranti foveam parat, alteri peccandi occasionem offert, ut habeat postea quod puniat, ille justus, bonus sanctusq; non est, sed malitiosus & crudelis, similisq; Tiberio, de quo Suetonius: Immatura puella, quia more patrio nefas esset virgines strangulari, vitiata prius à carnificæ, dein strangulata. Numen Calvinianum offendiculum homini ponere, foveam parare, peccandi ansam suppeditare, scribitur. Numen igitur illud non est justum, bonum, sanctum, sed malitiosum, crudele, & Tiberiano ingenio simile. Minor in adversariorum verbis continetur. Sic enim Beza contra Castell. fol. 401. Excitat Dominus malam voluntatem latronis ad alium latronem interficiendum, nec eo contentus, etiam dirigit ejus ma-

G

num



num ac telum, ut is interficiatur, quem iusta cadi destinavit: Quamvis ergò ab hoc principio, id est, à DEO, latronis voluntatem, quamvis malam, justè impellente, ac manum latronis telumq; dirigente, cades ista oritur: tamen nec malus est impulsus, nec malum opus; sed iustum ac sanctum commissum est à DEO, qui latronem meritis pœnis affecit. Nec enim DEUS vel latronem coëgit, vel malitiam ei indidit, sed voluntatem latronis, qua mala jam erat, ad bonum & sanctum opus benè ac justè incitavit. Idem fol. 372. Sic Zanchius in Miscellan. fol. 206. DEUS operatur omnia in omnibus: vult ergò & facit, ut in suis desideriis impii vivant. ibidem fol. 208. Sic Piscat. Licet DEUS nullum scelus perpetret, nec per naturam perpetrare possit, tamen procurat. pag. 39. Et pag. 48. Cùm DEUS liberè decrevit, patefacere suam misericordiam in peccatis condonandis, & justitiam in peccatis puniendis, ipse se hâc necessitate astrinxit, ut etiam decerneret peccatum & permittere & procurare. contra Bertium.

An DEUS sanctè peccata procuret. §. 9. Nec carcinomati huic sanando quicquam conducit, quod parant responsionis malagma, dum inquirunt: DEUM justè impellere & sanctè; eumque superiorem esse lege, & in DEO iustum, quod in nobis iniustitia & crudelitas. Piscator contra Bertium pag. 40. 43. Quodcumque enim justè sit & sanctè, id labis & peccati expers est, neque ex puritatis fonte quicquam effluere potest, quod turbidum, feculentum, sordidum: Et nunquam ille iustus & sanctus, à quo peccatum & αὐτοῦ procuratur, sed à quo avertitur, averruncatur. Quicumque aliquid procurat, ille est causa ejus, quod procuratur. DEUS Piscatoris procurat peccatum. Ergò est causa peccati. Præterea non solum falsum est, & Scripturis dissentaneum, sed etiam horrendum, abominandum, & in Ecclesia haud ferendum, quod idem scribit: In simili factio Tiberius fuit crudelis, DEUS crudelis non fuit. Et iterum pag. 43. & 40. Potest iustum esse in DEO, quod in nobis est iniustitia. Pag. 81. Doceo, DEUM vetuisse, ne peccaret Adam, & tamen voluisse, ut peccaret. Tollitur enim per istud somnium convenientia & conformitas omnis, quæ ex præcepto DEI requiritur à creatura ad creatorem; quæ filiis intercedere debet cum parente; subditis, quibus leges latae, cum magistratu, qui leges tulit: antiquatur illud DEI oraculum, non semel repetitum: Sancti estote, sicut & ego sanctus sum, Levit. XI, 44. XIX, 2. 1. Petr. I, 16. & alterum illud: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, Luc. VI, 36. Ex his iterum patet, utrum sententia Calvinianorum justitiæ divinæ respondeat, an secus.

Verba Pauli §. 10. Descendimus nunc ad verba Pauli, à quibus §. præced. opi-



opinationem partis adversæ longissimè abire diximus. Hæc re- ponderentur. lantur & huc revocentur ex *Cap. II.* In illis meminit Apostolus *ira*, quam DEus ostendat, & τῆς θυμῶν, quod notum faciat, vasis iræ sibi oblati, de justitiæ verò illustratione nihil meminit. Spretis nimirum, quod & suprâ tacitum, DEi mandatis, & ad iram DEo extremâ improbitate hominum provocato, Eccles. V, 7. non potest non idem malorum iudex & vindex tandem ad reddendam vindictam prorumpere, indutus vestimento ultionis & zelo tanquam pallio, Esa. LIX, 17. & vasa hujusmodi, ad interitum coagmentata, iræ suæ ἐνδείγματα, & potentiae γνωρίσματα constituere, posterisque, imò toti mundo in terrorem exponere, voce præconis quasi perlonante: εἰς πάντα ὄρων, ἐυσέβης ἔστω.

§. 11. Meminit porro Apostolus *ira* binis vicibus, uno eodemque versu, quam pro justitia eodem respectu & effectu accipere adversarii haud poterunt, sed velint nolint vel Pauli mentem pervertent, vel suam evertent. Si enim *ira* utrobique pro justitia punitrice, & malorum vindice ab illis sumitur, aut reprobi (quos ita dicunt) non sunt organa hujus justitiæ seu iræ, aut simul nequeunt esse paradigmata & ὑποκείμενα ejusdem. Instrumenta quippe quæ sunt, ea agunt subserviando & ministrando justitiæ executrici, ὑποκείμενα patiuntur justam ab ea sustinendo poenam; Illa iram exequuntur, hæc experiuntur: per illa declaratur ira, non in illis; in hæc exoneratur, non per hæc: Illa DEus usurpat, non tolerat: hæc tolerat, non usurpat. vide suprâ *Cap. VII. §. 2.*

§. 12. Succurrit adhuc aliud contra adversarios argumentum: *Gloriam manifestanda justitiæ & misericordiæ, DEo ab aeterno secundum adversarios propositam, idem conjunctam esse voluit cum sui agnitione, laude & celebratione; vel non voluit esse conjunctam.* Si prius; aut voluit se nomine justitiæ & misericordiæ agnosci, laudari, celebrari ab omnibus sine discrimine hominibus, cum in hac, tum in altera vita; aut à quibusdam tantum. Si ab omnibus, tum & reprobi in laudem gloriæ creatoris prædestinati & conditi sunt, non minus atque electi, præfinito utrisque sine eodem, & in inferno DEo laudes canent pro justitia & iudicio, cum voluntas DEi adversariis sit rerum necessitas. conf. supra §. 2. n. 3. hujus *Cap.* Sin à quibusdam tantum se vult misericordem agnosci & celebrari, ipse suæ gloriæ segetem suffocavit, laudem imminuit, & haud peccant improbi, quòd misericordiæ & justitiæ præconio conditorem suum neque in hac, neque in altera vita ornant, quia

ab iis se talem agnosci & glorificari in æterno suo consilio noluit; denegatis & subtractis etiam omnibus, quibus ad hunc finem pervenire potuerant, mediis. Quod si gloriam suam noluit DEUS cum laude sui esse conjunctam, (quod *alterum* erat Syllogismi disjunctivi *membrum*, initio §. *huj.*) oportet reprobos esse & prædestinatos & creatos ad contumeliam & ignominiam ejus, qui tamen in omnibus suis operibus ultimum finem intendit gloriam. Quicumque enim creantur, vel creantur ad gloriam DEI, vel ad contumeliam DEI: & si ad gloriam, tunc ad eam vel celebrandam, vel vituperandam. Quomodò ex hoc Labyrintho emergere velint & possint adversarii, viderint ipsi.

§. 13. Sed excipient forsan; reprobos esse ita ad mortem pro declaranda divina justitia prædestinatos & creatos, ut sint specimina, exempla, documenta & monumenta, in quibus severitas DEI conspiciatur, non ut ipsi celebrent justitiam, sed ut in ipsis ostensa, cum ab Angelis, tum ab Electis agnoscat, & perpetuis laudibus decantetur.

§. 14. *Resp.* (1) Non quæritur, quid gloriæ seu boni DEUS ex ipsorum damnatione & malo pro sua bonitate & omnipotentia elicere possit & velit; sed quem in finem eos prædestinarit & crearit: quæritur de fine §, non autem φ, ut paulò post demonstrabimus, (2) Eadem recurrunt syrtis, quæ antea: Aut voluit DEUS, antequam conderet reprobos, ab iis (non tantùm in iis) laude affici, aut contumelia; aut neque gloriâ, neque contumeliâ. Posteriora duo respuit pietas, neque enim frustra sunt conditi; neque ex consiliis DEI nomini divino labes oritur & inuritur. E. voluit ab iisdem gloria affici. Non autem afficitur gloria. E. aliunde, quàm ex DEI prædestinatione & creatione degenerarunt in vasa contumelia. Qua ratione vasa misericordie dicuntur preparata in gloriam, eadem ratione statuunt adversarii vasa iræ coagmentata in contumeliam. Illa hâc ratione sunt preparata, ut non solum sint subjecta & specula divinæ misericordie, propter quæ DEI misericordie prædicetur, sed etiam misericordie celebranda organa. E. & vasa iræ statuunt coagmentata, ut sint contumelia & subjecta & instrumenta. Ἄτοπον. Quomodò igitur reprobationis finis gloria DEI, quæ neque in ipsis consistit, neque ex ipsis & ab ipsis reprobos efflorescit.

De fine vasorum iræ:
Polanus.

§. 15. Poterat ex his, ut puto, judicium de Calviniano dogmate satis formari: sed placet adhuc de fine vasorum iræ cum illis pressius agere. De hoc ita Polanus pag. 212. *Bisariam servit glorie DEI repro-*

reprobatio; primùm monstrat liberam DEi potestatem, & summum jus faciendi suis creaturis, quod vult: secundò facit ad commendandam misericordiam erga Electos. Mirum, quòd hic scriptor glorificandæ justitiæ materiem præterit, quam tantoperè Beza & Paræus aliique urgent. Sic enim Paræus super cap. IX. ad. Rom. pag. 954. Finis vasorum iræ duplex; proximus, contumelia & interitus eorum: ultimus & remotus, ostensio potentie & justitiæ DEi in illis: utrumque habent non ex seipsis, sed à DEo per æternum prædestinationis consilium, per ordinationem seu destinationem ad eos fines, ad quos tendunt. Repetit idem contra Bellarm. pag. 344. de amiss. grat. & statu peccati Lib. II. Cap. XII. Cùm secundùm conditionem materiæ omnes forent vasa iræ, distinguendum est inter vasa contumeliosa & in contumeliam: illud habent vasa à conditione materiæ, massâ nimirum damnabili, contumeliâ æternâ digna; hoc verò, quòd sint coagmentata in contumelia, non à materia, sed à DEo, ordinante vasa reprobata ad contumeliam. Nam particula eis finem denotat: At finis non intenditur à materia, sed ab efficiente, & in contumeliam idem valet, quod ad interitum seu ad pœnam.

§. 16. An, hæc dum scripsit, Paræus secum habitârît, valdè dubito. Nam (1) sua vineta cædit, à se constructa destruit, effata negat. Suprà Cap. VI. §. 9. negavit, omnes homines esse vasa iræ: hîc verò (propter materiæ conditionem) ait. Querit (2) nodum in scirpo, dum inter vasa contumeliosa, & in contumeliam, distinctionem quærit. Quicquid enim cedit in damnum, fructum, lucrum, quæstum, probrum, injuriam, scandalum, calumniam, id quoque damnosum, fructuosum, lucrosum, quæstuosum, probrosum, injuriosum, scandalosum, calumniosum. Quidni ergò & contumeliosum atque ignominiosum illud fuerit, quòd vel in suimetipsis, vel alterius vergit contumeliam & ignominiam? In Grammaticos (3) & Logicos contumeliosus est, eò quòd contra illorum scita placitaque contumeliosum exponit, pro contumelia dignum. Nominant enim hi contumeliosas & injurias literas, non quæ dignæ sint contumeliâ, sed quæ plenæ: Et sic quod isti accipiunt activè, id Paræus interpretatur passivè. Malè. Denuò (4) semetipsum $\kappa\omicron\lambda\alpha\phi\iota\zeta\epsilon\iota$, dum scribit, in contumeliam idem valere, quod in pœnam seu interitum. Quæ explicatio non quadrat figulo, qui vasa multa fingit in contumeliam, nulla in pœnam & perditionem. Neque, stante & militante istâ explicatio, contumelia potest dici finis vasorum iræ. Nulla enim pœna est finis (loquor de fine intentionis, non autem terminationis, qui hîc $\sigma\epsilon\gamma\eta\lambda\alpha\kappa\omicron\varsigma$), sed meritum ac debitum, seu, ut Paulus loquitur,

tur, *stipendium peccati*, Rom. VI, 23. *Contumelia est pœna vasis iræ debita, auctore & interprete Pareao.* Ergò *contumelia finis vasorum iræ non est.* Uti differunt finis judicis punientis, à fine latronis, homines interimentis: illi enim propositum, malum tollere, huic committere; illi peccatum & latrocinium vindicare, huic patrare: Ita differunt quoque finis DEi, vasa iræ punientis seu abolentis, & ipsorum vasorum, iram & indignationem DEi in se convertentium. *Quicquid pœna vasis iræ à judice irrogatur, id scopus ac finis eorum non est.* *Contumelia irrogatur vasis iræ.* Ergò *finis ipsorum non est.* Inane (5) est & nauci, quòd præpositionem εἰς, finis notam constituit: nam exempla ubivis sunt in contrarium. Deut. XXVIII, 13. *Ponam vos in caput, & non in caudam.* Vers. 37. *Eritis in stuporem, parabolam, fabulam omnibus populis.* Job. XXX, 9. *Factus sum in sermonem.* Psal. LXIX, 11. *Fuisti in opprobrium mihi.* Vers. 24. *In laquem sit mensa, & in rete pacifica.* Zach. II, 5. *Ero in gloriam in medio ejus.* Esa. IV. 2. *Germen Jehovæ in gloriam & decorem, fructus terræ in sublimitatem & gloriam.*

§. 17. In his exemplis (plura sufficit cap. VI. Rom.) particula *in vel ad*, finem minimè denotat, sed vel qualitatem & statum, vel eventum. Unde illud *in decorem & gloriam* exponit Urfinus *super Esaiam*, per *jucundum, gratiosum, gloriosum, magnificum, decorum, splendidum, ornatum.* fol. 123. Ac sunt locutiones illæ, quas paulò antè §. 16. n. (2) adduxi, ita comparatæ, ut, licet mutationem subeant, sensum tamen, respectum, affectionem & notionem haud mutant & amittant. Perinde enim est, si dixeris: hoc est tibi gloriæ, honori, ignominia, probro, contemptui, lucro, execrationi, benedictioni, saluti, usui, damno: & hoc est tibi gloriosum, honorificum, ignominiosum, probrosum, ἐκφύλασον, lucrosum, execrabile, εὐλογητόν, damnosum, salutare, utile: Et hoc cedit tibi in honorem, gloriam, contemptum, lucrum, salutem, damnum, usum, in execrationem, benedictionem: Et hoc est tibi gloria, Luc. XIV, 10. II, 32. Esa. XI, 10. honor, ignominia, opprobrium, Psal. XXII, 7. lucrum, Philip. I, 21. benedictio, Gen. XII, 2. 3. execratio, usus, &c.

§. 18. Ex his judicandum est de phrasi Paulina, εἰς τιμὴν καὶ ἀτιμίαν, quam *de fine, scopo, & intentione* facientis vasa, interpretantur adversarii: Nos *de conditione, constitutione, statu, usu & utilitate factorum* intelligimus. Quid enim prohibet, quò minus phrasin istam ita reddere queam: *potestatem* habet figulus effingendi vasa *honora & inhonora, gloriosa, & ingloria, splendida, magnifica, preciosa, non minus, quam*

quàm contemptibilia, & qua parvi estimantur, minusq; splendent, nobiliora & ignobiliora? Quis verò non videt, de adjacente vasorum sermonem esse, non autem de fine, ad quem à suo opifice dirigantur? Apprimè hæc explicatio convenit scopo & menti Apostoli, qui Judæis, ægrè ferentibus, quòd gentes sibi in regno Messia non solum æquentur, sed etiam præferantur, opponit parabolam de figulo & vasis. Uti enim hic pro libitu facit vasa honestioribus & inhonestioribus ministeriis accommoda: Sic DEO sua constat in homines potestas, qui & facti sui causas habet æquissimas, dum gentes honore peculii dignatur, Judæis libellum repudii mittit: In illis ostendit indebitæ misericordiæ liberalitatem; in alteris commertæ & vi quasi extortæ pœnæ severitatem. Convenit etiam voci, quæ figmento *πρωτοποιοιτικῶς* tribuitur, dicenti: *Cur me talem fecisti?* vers. 20. ubi introducitur *πλάσμα* conquerens, non de fine, ad quem confectum, sed de conditione, cui subjectum. Convenit & ipsi, quæ Pauli est, expositioni, 2. Tim. II, 21. ubi vas *εἰς ὑμῆν* describit non à fine, qui fuit in mente facientis, sed ab usu, quem præbet possidenti: *ἐυχρηστον ἔσται τῷ δεσπότῃ, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν ἡτοιμασμένον.*

§. 19. Nec est, quòd usum hîc pro fine accipiant: Sæpè enim *Ufus & finis differunt.* usum rei differre à fine, opere, effecto, ostendunt opificum instrumenta, quibus competit usus; finis non item. Finis quoque agentis non nisi bonus; usus rei interdum malus & noxius: Finis est intentionis & *θεωρίας*: Usus est operis & *πράξεως*. Nec pendet vel semper vel solum usus vasorum, sive ad decus faciant, sive ad dedecus, ab intentione efficientis. Neque etiam à materiæ conditione, & qualitate. Possunt enim testacea vasa esse *εἰς τιμὴν*, in precio haberi, & honestioribus functionibus adhiberi: aurea contra & argentea vitreaque possunt esse *εἰς ἀτιμίαν*, in minori apud quosdam precio, Zach. IX, 3. 2. Chron. IX, 20. & 27. 1. Reg. X, 21. & 27. & excipiendis sordibus manuum, pedum atque aliorum membrorum, quæ Paulus *ἀσκήμονα καὶ ἀτιμότερα* appellat, 1. Cor. XII, 23. admoveri. Pendet autem usus vasorum & instrumentorum à forma, quæ ipsis indita, unde & finis generationis dicitur, ac prætereà ab usurpantis arbitrio & necessitatis imperio.

§. 20. Quod si hæc adversariis non sapiunt, sed pro fine suo *Contra finem adversariorum.* pugnare pergent, nos sequentia ipsis obvertemus: *Si contumelia est finis vasorum iræ, erit aut finis ἔ, aut finis ῶ. Sed neque ille, neque hic. Ergò non est finis. Si est finis cui, erit posterior fine ἔ, amabitur simpliciter amore ami-*

amicitiæ, ut est apud Thom. 1. 2. *quest.* XXVIII. Art. IV. & Gabriel. in 2. *Distinct.* 1. *quest.* V. Ceder bono vasorum, vel in bonum vasis. Huic alter ille (scilicet cuius) procreatus. Nihil horum competit contumelia. Ergò neque contumelia est finis vasorum iræ.

§. 21. Urgeo pluribus: Si contumelia est finis Cui, erit aut proprius & proximus (ut docet Picolom. in *Digress.* Lib. II. *Phys.* de fine), vel postremus & communis. Neuter est. Ergò non est finis. Firmatur Minor: Nulla *τέγης* est finis Cui (adde etiam Cujus). Omnis contumelia, ἀτιμία, ἀπόλεια est *τέγης*. Non ergò finis Cui. Cui homo ceu ὑποκείμενον παθητικὸν subjacet & obnoxium est, id finis ejus non est. Contumeliæ, ignominia, (quemadmodum & ignorantia, cœcitati, miseria, morbis, paupertati, morti, & passionibus, si quæ sunt, aliis,) homo ceu ὑποκείμενον παθητικὸν subjacet & obnoxium est. Ergo contumelia finis hominis non est. Quod est à conditione materia, id finis effecti seu causati non est: nam finis excitat appetitum agentis, antecedit, dirigit, movet. Picolom. Lib. II. *Phys.* pag. 290. Ἀτιμία (contumeliosum enim esse, & in contumeliam esse, nihil differunt, ut paulò antè ostensum) est à conditione materia, ut Paræus loquitur. Ἄλμια non est finis causati, hoc est, hominis.

§. 22. Verum enim verò largiamur pro nostra liberalitate adversariis, contumeliam & interitum esse finem vasorum iræ, (sive respectu sui, sive alterius,) DEUM immortalem, quanta inde absurdorum ilias, & lerna prodibit! Quicquid ad eum fertur finem, ad quem conditum & paratum est, illud extra culpam; justo enim & regio incedit tramite: siquidem unumquodque naturæ impetu ad solum tendit finem. Vasa iræ feruntur ad eum finem, ad quem sunt condita & parata, nimirum ad contumeliam (sive respectu sui, sive aliorum). Ergò vasa iræ sunt extra culpam. Quid enim habet, quod in vasis iræ desideret, qui eum in finem ista condidit, ad quem remis velisque, quod dicitur, contendunt, ut sit, in quo tandem acquiescant? Culpa verò ad eum jure recidit, qui ad meliorem usum & finem vasa ista facere vel noluit, cum potuerit, quod est invidentiæ: vel non potuit, cum voluerit, quod est impotentia. Utrumque DEO indignum & contumelia plenum.

§. 23. Sed urgebimus & prememus adversarios arctius & pluribus. Finis est rei perfectio. Interitus, contumelia est finis (scilicet vasis iræ & reprobis). Ergò est perfectio vasis iræ. Absurdum! Omnis finis est in instituto agentis. Ἀπόλεια καὶ ἄλμια sunt finis. Ergò in instituto agentis; & ita domus destructio est in instituto ædificantis. Absurdum!

dum! Omnis finis ita comparatus est, ut ejus adipiscendi gratia efficiens moveatur & operetur. Contumelia atque interitus, auctore Paræo, sunt finis vasorum iræ. Ergò ita comparata sunt, ut eorum adipiscendorum gratia motus sit & operatus efficiens DEUS. Absurdum! In cujus gloriam preparantur vasa misericordiæ, in ejusdem contumeliam parantur vasa iræ ab eo, qui utrorumque opifex & figulus, quem ipsi adversarii dicunt esse DEUM. Contraria enim & diversa, qualia sunt vasa decoris & dedecoris, in contrarios & diversos tendunt fines. Vasa misericordiæ preparantur in gloriam divini nominis. Ergò & altera parantur in ejusdem nominis opprobrium, ab uno utrorumque opifice. Conclusio est absurda: Ergò præmissarum alterutra. Non Minor, quæ Apostoli; Ergò Major, quæ partis adversæ: Ac per consequens vasa *ἐὶς ἀτιμίαν*, à DEO talia non formantur, sed ab alio principio deformantur. Ad quemcunque finem homo dicitur esse prædestinatus, conditus, ordinatus, is in genere est bonorum: Omnis enim finis est in genere bonorum. Scaliger Exercitat. 250. Homo dicitur ad hunc finem proximum, qui est interitus & contumelia, prædestinatus, conditus, ordinatus. Ergò hic finis est in genere bonorum. Absurdum! Omne bonum per se expetitur. Contumelia & perditio, quæ pro fine vasorum iræ venditantur, sunt bonum. Ergò per se expetuntur à creatis scilicet & reprobis. Absurdum! Illud est bonum, à quo & per quod bonum communicatur. Per creationem vasis iræ non communicatur bonum: anima enim & corpus, quæ dantur, non nisi reprobis in perniciem mortemque æternam dantur. Ergò creatio vasorum iræ non est bona. Absurdum! Quod est preparatio mali, & quidem omnium postremi & maximi, id bonum non est. Creatio vasorum iræ est ipsis preparatio mali, & quidem maximi. Ergò creatio vasorum iræ non est bona, sed mala & mali origo. Absurdum! Quicquid ante & in ipso creationis actu destinatur odio, id ex fonte benedictionis, quæ gratiæ est & amoris, non proficiscitur. Vasa iræ & ante sui formationem & ipso formationis actu destinantur odio. Ergò ex fonte benedictionis non proficiscuntur. Atqui omnes homines ex fonte proveniunt benedictionis. Gen. I, 28. IX, 1. Vasa iræ non proveniunt ex fonte benedictionis. Ergò vasa iræ non sunt homines. Absurdum! A quo sortiuntur homines, ut fiant vasa iræ, coagmentata ad interitum, id neque pro beneficio habendum, neque *εὐχαριστίαν* meretur. Sortiantur homines ut fiant & sint vasa iræ ex prædestinatione & creatione. Ergò neutra pro beneficio habenda, & gratiarum actione digna. Absurdum! A quo habent homines, ut sint vasa iræ, ab eo habent etiam, ut serviant peccato & dia-

bolo. A figulo DEo habent homines, ut sint vasa iræ. Ergò ab eodem habent, ut serviant peccato & diabolo. Absurdum! Satis profectò absurdorum & monstrorum, quæ nobis Calvinianorum parit Africa.

§. 24. Vera sunt, & si quid potest esse vero verius, verissima sunt, quæ *contra Tilenum* scribit Johannes Arnoldi Corvinus, Ecclesiæ Lugduno Batavæ Pastor *in Præfat. Si nobis talionis jure uti liberet, in proclivi nobis esset, ostendere, fratres Calvinianos, & nominatim Heidelbergenses, monstruosissima in proponenda suâ de Prædestinatione sententiâ opinionum monstra prodere, monstruosiora abdere, & infanda alios in aliis tolerare.* Ex quibus absurdorum voraginibus si enatare velint adversarii, necessum est, ut sua principia faciant missa, Paulinis verbis verum sensum & usum restituant, & vasa iræ non à DEo per prædestinationis brevia, sed prævaricationis devia, non per creationis tramitem, sed indurationis callem ex seipsis à diabolo deformari potiùs, quàm formari nobiscum statuant.

§. 25. Objicitur etiam crebrò dictum Salomonis Prov. XVI, 4. *Omnia operatus est Dominus propter seipsum, etiam impium ad diem malum. Ad hoc respondeo: (1) Non loqui Salomonem de DEi creatione, sed operatione seu actione: Differunt create & operari; illud strictius, hoc latius: Omnis quippe creatio est actio DEi, sed non omnis actio est creatio. (2) Impius, ut impius, non est effectum divinæ actionis & creationis, sed gubernationis seu providentiæ objectum. (3) Quod enim DEus aversatur & abominatur, illud ab eo non creatur, Sap. XIV, 9. Quod autem creatur, bonum, Gen. I. vers. ult. Et DEus etiam Platoni est causa boni. (4) Rectè Lavaterus: *Non ex his verbis intelligendum, DEum condidisse impium ut impium: nam impius ut impius non est ex DEo, sed ex patre diabolo, Job. VIII, 44. Non ergò de creatione loquitur, sed de gubernatione impii.* (5) Propter seipsum dicitur DEus omne facere seu operari, ut sibi respondeat, suæ voluntati conveniat, & serviat. Quam interpretationem venatur Junius, qui ita commentatur: *Haud scio, an hæc melior sit futura ex Hebræo contextu interpretatio: omne operatur Jehova ad id, quod respondeat ipsi, etiamq; improbum ad diem mali.* (6) Præpositio AD non denotat finem, sed respicit tempus & eventum: Eccles. III, 6. (7) Dies mali est dies pœnæ & vindictæ divinæ, quæ cum sit peccatorum, ad providentiam DEi revocari potest, ad creationem non debet. (8) Pertinet huc non minima pars cap. XXXIX, Sirac. vers. 30. *Bona bonis ab initio creata sunt, mala**

mala similiter peccatoribus: vers. 31. 32. 33. 34. 36. 38. 39. (9) Consentit Mercerus, cujus hæc verba: Fecit ad diem mali, non quod ejus impietatis auctor sit, sed quod eum permittat, aliquandiu impietate suâ bonos opprimere, reservans eum in diem pœnæ, ut in eo potentiam suam & justitiam ostendat. Quod impii, homines sunt & vivunt, creationis est beneficium: quod in die mali pereunt & damnantur, transgressionis & impietatis est meritum. De quo Augustinus, vel potius Prosper in Respons. ad Artic. sibi falsò impositos: Omnium quidem hominum DEUS creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat, quia alia causa est nascendi, alia pereundi: Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium, ut autem pereant, prævaricatoris est meritum. Nimis ergo impius est & indoctus, qui vitium nature non discernit ab auctore nature, à quo prorsus alienum est, quicquid in unoquoque damnandum est. Idem Libr. de Genesi ad Liter. imperfect. cap. V. Quædam facit DEUS & ordinat; quædam verò tantum ordinat: justos & facit & ordinat, peccatores autem, in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum.

§. 26. Quod verò adversarii in reprobandis tot hominum myriadibus liberam DEO potentiam & summum jus faciendi de suis creaturis quod vult, asserere & vindicare contendunt, in eo non proferunt sapientiæ divinæ dictamen, sed humanæ stultitiæ produnt spectamen. Ita enim decet nos ἀυθεντιαν & παντοκρατοριαν DEI, seu liberam quævis faciendi potestatem astruere, ne bonitatem & justitiam destruamus. Si enim creator vel unum saltem hominem citra culpæ intuitum reprobaret, & eo animo illi corpus animamque daret, ut æterno torqueretur igne, sanè talis liberrimæ potestatis posset esse miserabile spectaculum, sed bonitatis & justitiæ laudabile nunquam foret exemplum. Quin potius cum Abrahamo sentiamus & loquamur, Gen. XVIII, 25. Absit à te, ut facias rem talem, ut mori facias justum cum impio, sitq; justus sicut impius, absit à te: nunquid judex universæ terræ non faciet judicium? Et cum Jacobo Epist. cap. IV, 17. Εἰδὸτι καλὸν ποιεῖν, καὶ μὴ ποιεῖν, ἀμαρτία αὐτῶ ἐστίν, qui noverit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur.

§. 27. Nihil addam de fructibus & effectibus, ex εἰμαρμένη Calviniana progerminantibus. Volunt enim statum cum illorum, qui ad salutem, tum qui ad exitium creati sint, mutari non posse, ut habent verba Piscatoris contra Bertium, pag. 53. Qua sententia stante, prostrata jacet & extincta omnis pietatis ratio, frustraneæ sunt,



quæ contra vaframenta diaboli, impedimenta mundi, pro felici Evangelii successu & errantium illuminatione funduntur ad DEum preces, obstante scilicet illo, quod de reprobis in abscondito factum est decreto; vanæ sunt & irritæ adhortationes, dehortationes, castigationes, consolationes, omnesque cum legis, tum Evangelii conciones, perpetuò vacillat fides, fluctuat spes: Verbo & Scripturis sacris omnis perit auctoritas & efficacia. Uno verbo: Religionis Christianæ nervi disseccantur, caput amputatur, anima exturbatur.

Conclusio
ἀνακεφα-
λαιωμένη.

§. 28. His igitur de vasis iræ & contumeliæ contra adversarios ita discussis, nunc receptui canimus, ac contractis reductisque copiis campo excessuri, tale de profligata Calvinianorum opinione, quâ volunt, iræ vasa ab æterno ad interitum simpliciter prædestinata & postea creata esse, trophæum erigimus: *Omnia Scriptura explicatio, & ad probandum dogma applicatio, quæ DEo Ter-Optimo, Ter-Maximo contumeliosa, divinis proprietatibus ignominiosa, actionibus & verbo contraria; Prophetis & Apostolis incognita; analogiæ fidei adversa, absurdis fecunda; pietati inimica; in Ecclesia prisca & pura inaudita, à multis damnata, rationi denique saniori exosa: illa à mente Spiritûs Sancti alienissima. Talis est Scripturæ expositio & ad probandum de absoluta reprobatione vasorum iræ applicatio, quâ hæcenus multorum oculis glaucoram objecere adversarii. Ergò est à mente Spiritûs Sancti alienissima, & ab omnibus piis ad arcum releganda.*

Sanctifica Verbo nos, bone CHRISTE, tuo!



Fe 3252?



ULB Halle 3
003 018 261




K. Zigan
Buchbinderei

V077







150

ΙΑΣΚΕΨΙΣ

De

ASIS MISERICORDIÆ,

NEC NON

IS AC IGNOMINIÆ,

Ex

Sacris literis, & in primis
Rom. IX, 20. 21. 22. 23.
deducta,

um conformata, atque præsertim Cal-
s affeclarum *δυσφημίας καὶ βλασφημίας* de
omnium eorum, qui damnantur,
ædestinatione ad mortem

opposita,

*PROPTITIO, humani generis Condi-
tore maximo, Reparatore benignissimo,
tore unico, publicæ placidæ,*
συζητήσεται

ad d. 8. Jan. M DC XVI.
rio Theologico instituendæ
exponit & proponit

NES MAJOR,

Prof. Publ. Pastor & Superin-
tend. Jenæ,

RESPONDENTE

GEORGIO ZEIDLERO,
sic. Facult. Philos. Adjuncto.

*DEi proximiq̄ue commodum
nūò multum correctior edita.*

sterio WEIDNERIANO, M DC XCI.